EILHARDI LUBINI

IN

Q. HORATII FLACCI

DUOS SATYRARUM, TOtidem Epistolarum, & Epistolam Satyricam DE ARTE Poëtica libros

PARAPHRASIS SCHOLIASTICA NOVA,

Quæ pleni commentarij vice esse poterit.

ROSTOCHII
Typis REUSNERIANIS.
cIↄ Iↄ Ic.

DN. OTHONI PREEN, HEREDITARIO IN WENENDORFF

EQVITI MEGAPOLITANO VIRTVTE, GENERE, LITERIS & ARMIS verè nobili,

Domino, Amico, & Patrono meo carißimo, certißimo,

S. P. D.

EILHARDVS LVBINVS

NE forte, dum tanto jam tempore patriâ abes, & quod hic Poëta noster de Vlysse ex Homero loquitur:

Dum mores hominum multorum cernis, & urbes,

tui memoriam ex animo meo deletam existimes, juvenum nobilissime, hoc meo qualicunque amoris atque benivolentiæ erga te documento testatum facere volui, me quondam tecum initam fraternam amicitiam & familiaritatem non mi-

nus jam cum abſente colere, quam olim cum præſente colui. Vt enim ab officio boni viri, ſic etjam à meo ingenio longè abeſſe ſcio amicos, quod vulgo ferè fieri videmus, ita deligere, quomodo peregrinantes hoſpitia, quæ veſperi avidè amplectuntur & tenent, mane relinquunt & obliviſcuntur. Cum enim te prius delegerim quàm dilexerim, (quod idem mihi de te quoque polliceor) & rarum illum hoc noſtro ſæculo animi tui candorem, ingenuam mentis probitatem, & Virtutem denique cum tantâ generis tui nobilitate, & liberalibus artibus ac litteris pulcherrimè conjunctam abſens & præſens ſæpiſsimè expertus ſim; meritô tuo hunc amoris mei erga te adfectum eumdem ſemper abſens & præſens integrum, ſartum, & tectũ ſervo. Quocirca cum egregium hunc Latinæ Poëſeos auctorem Horatium huc usq; explicando perduxiſſem, & quinque Odarum libris abſolutis ad hunc primum Satyrarum perveniſſem: Tui crebra recordatio, & in patriam reditus deſiderium non obſcurè me impulit illum ut tibi, quamvis ubi locorum degeres & quam diu patria abfuturus eſſes, ignorans inſcriberem. Partem operis egregij, & tuo cum primis excellēte ingenio & ſtudijs liberaliſsimis dignam. Quod utinam pari dicendi facultate, & Horatio

Latinſ-

Latinissimo Latinæ linguæ auctore digno sermone explicando & enarrando illustrare potuissem; haberes haud dubiè ab amico tuo munus non pœnitendum. Verum hoc forte optare mihi licet, consequi non licet. Spero tamen me in meo proposito viris bonis & doctis, & tibi inter illos non postremo ex parte aliquâ satisfecisse. Nihil interea dubitans non defuturos illos, quibus hoc nostrum sæculum nimis quã ferax est, qui meos hosce improbos labores obtrectare mâlint, quam imitari. Quibus forte venia dari posset, si ipsi meliora proferrent, & cogitarent me illa voluisse, quæ ipsi poterant, & hæc talia tractare majore voluntate, quam facultate: Eoq; propensius me forte laudandum, quod, ut cum Appulejo loquar, omnibus bonis in rebus conatus in laude, affectus in casu est. Et qui ipsi tamen si aut secum, ut ille loquitur, habitarent, aut manum consimili operi admoverent, & suam curtam suppellectilem cognoscerent, & ignorantiam non ignorarent. Vnus enim plus alio scit, nemo omnia. Quamvis autem hanc novam, à me primum usurpatam per Paraphrasim commentandi & obscuros auctores enarrandi rationem omnibus approbari neque speraverim, neq; etiam exoptaverim unquam: Non defuerunt tamen non in Belgio solum, verum etiam in

hâc nostrâ Germaniâ plurimi magni nominis & accuratissimi judicij viri, inter quos non postremi uterq; Chytræus, Iohannes Caselius, Melchior Iunius, Iacobus Monavius, Carolus Vtenhovius, Laurentius Rhodomanus, & plurimi alij quos prudens & sciens prętereo, qui partim coram, partim per litteras & alios me gravissimè exhortati sunt, ut quod paulo ante in Persio, & jam dudum in Iuvenale præstiteram, in hoc accuratissimo Lyrico & Satyrico etiam tentarem. Gessi morem, ut par est, magnis illis & sapientissimis viris, idq; eo promtius, quod viderem multos egregios in hâc Academiâ juvenes in auditorio meo frequentiâ & assiduitate suâ non obscurè meos hosce labores approbare, & ex ijsdem magnam & voluptatem & utilitatem capere. Inter quos non defuerunt, qui mihi adfirmârunt se harum Paraphrasium, vel verius commentariorum lectione plus lucis in multis obscuris locis adeptos esse, quàm ex verbosissimis illis & diffusissimis, qui passim in hunc auctorem exstant, commentarijs. Quod si, ut illorum magnorum virorum, & præclarorum juvenum, sic tuo etiam, aliorumq; judicio operæ precium fecisse videbor, magnum mihi calcar & incitamentum additum intelligo, ut, si Deus vitam mihi & ocium, ut hactenus, porro benignè

suppe-

ſuppeditet, pleroſq; reliquos Latinæ linguæ Poëtas, pari veſte oxornatos Perſio, Juvenali, & Horatio ſuo tempore ſubjungam. Tu verò ubicunq; locorum vivas, feliciter cum Deo ex animi ſententiâ vive, mihiq; tui patrocinij clypeo adverſus Ariſtarchos illos, & Zoilos præſto es, meq; ex animo amantem redama, & hoſce Lubini tui qualescunq; tibi nuncupatos labores æqui boniq; conſule. Sic Deorum ille optimus & maximus te lætum ac florentem ducat, & ſal vum atq; incolumem ſollicitæ & deſideratiſsimæ matri tuæ, nobiſq; propediem reſtituat, & diutiſsimè vegetum ac valentem conſervet. Salve & Vale flos & medulla nobilium juvenum. Roſtochij, Anno 1598.

CANDI-

CANDIDO AC BENIVOLO LECTORI S.

NON ſum neſcius, lector benivole, multos errores typographicos in tantâ operarum feſtinatione paſsim irrepſiſſe, multa etiam paſsim à me profuſa in tantâ temporis anguſtiâ, quæ rectius & melius dici & exponi potuiſſe non nego. Illos tu pro candore & benevolentiâ tuâ corriges; hæc ego ſuo tempore poſt annos aliquot ſi vixero volente & juvante Deo, cum denuò forte hæc edentur, ſedulo & accuratè emendabo. Interea bibliopolas & Typographos amicè rogatos, & benivolè admonitos volo, ne inſcio me & nolente hæc præproperè recudant, meq́; & maximorum meorum laborum, & non minorum ſumtuum ac impenſarum fructu privent. Quod ſi quis præter votum atque opinionem meam faxit, certò fore ipſi prædico, ut hujus conſilij & propoſiti ipſum pæniteat. Tu interea optime lector bene & feliciter Vale, & hæc qualiacunque boni conſule.

EIDEM IDEM.

QVI linguam & pectus Sophiâ & virtute polire
Expetis, Eja agedum huc; heic id habes, quod aves.

EILHARDI LVBINI

IN

Q. HORATII FLACCI SATYRARVM LIBRVM PRIMVM PARAPHRASIS SCHOLIASTICA.

SATYRA PRIMA

Ad C. Cilnium Mæcenatem.

QVi fit *aut quid caussæ est,* C. Cilni Mæcenas, *equitum nobilissime, & patrone incomparabilis,* ut *semper nos nostri pœniteat; ut semper aliorum res, vitæ genus & institutum nostris meliora & feliciora videantur: Vt deniq; nullus &* nemo *hominum* illa *sorte & vitæ conditione* contentus vivat, quam sive *secundum Stoicos divina* ratio *ac providentia consultò ac deliberatione præhabitâ* sibi dederit; sive *secundum* Epicureos *casus &* fortuna *temerè ac sine ratione alicui* objecerit: *sed contra quisq; nostrum dissimilia atq;* diversa *vitæ genera* sequentes laudet? *Et hæc quidem ita sese habere quotidiana hominum vita, & experientia multis documentis comprobat.* Miles *enim qui juvenilem suam ætatem militiâ attrivit, & jam* annis *& ætate* gravis *est,* cuiq; *jam enerito* membra multo *atq; diuturno* labore *militari* fracta *& emervata* sunt, *vitæ suæ conditionem damnat, & negotiatorum vitam prædicat & inquit:* O mercatores *felices &* fortunati! *qui mercimonijs suis res & opes acquirunt; cum interea nos milites armis belli ad inopiam & miseriam redigimur. Et ita quidem* ait *miles:* Contra *verò* mercator, *cum in maris periculis versatur, & tempestate coortâ &* austris *impetuosis meridionalibus ventis* navem *in æquore variè* jactantibus *naufragium reformidat; tum, inquit,* militia *longè melior &* potior est *hâc, quam nos exercemus, mercaturâ.* Quid enim *militia non melior sit? Quippe nos versamur in continuis periculis & anxietatibus: In militia autē brevissimo temporis intervallo*

belli eventus detegitur. Nimirum ubi in conflictu ab utroq; exercitu hostili animo concurritur, *& horæ spacio ac* momento mors subita venit, *& pugnantes invadit,* aut læta victoria *ac triumphus. Porro* juris ac legum peritus ubi consultor *qui consilium rogat de nocte* sub galli cantum *ædium suarum* ostia pulsat, *& dormientem exuscitat: quod neq; die neq; nocte requiem sibi indulgere queat,* laudat agricolam, *ejusq; vitam securam ac tranquillam? Contra* ille *agricola,* qui *in urbis foro litigat, & in re capitali, aut pecuniariâ* vades dedit, qui *quod agricolam in judicio velint statuere vadimonio obligati sunt, quos ut liberet* rure in urbem extractus est; *ille, inquam* solos *cives* in urbe viventes *magno adfectu laudat, & tanquam* felices *pro*clamat. Cetera de hoc genere *hominum, qui suis non contenti diversa studia laudant frustra sim si enumerare aut recensere enitar.* Adeo *enim* multa sunt, ut *etjam* Fabium *Maximum Norbonensem, Philosophum Stoicum garrulum &* loquacem *ad summam defatigationem* delassare valeant. *At verò ne copiâ tantâ, tot stultorum, & inconstantium hominum* te morer, *diuq; suspensum detineam;* audi *tantum* quonam *hanc* rem, *quam incepi, & ad quam majorem malitiam & insaniam homines illos* deducam. *Age enim* si Iupiter, *aut alius* Deus quis*piam illorum votis promtè velit satisfacere, & illis* dicat: En *vobis, ô homines,* ego jam faciam *illud,* quod vultis, *cum vosmet vestri pœnitere videam: vobisq; vestras sortes permutandi libertatem faciam: & age heus* tu qui modo miles *eras, imposterum* mercator eris; tu *autem qui* modo *juris*consultus, *jam eris* rusticus. *Agite vestrorum votorum compotes facti* partibus *& conditionibus vitæ* permutatis hinc vos *miles & jurisconsulte,* hinc vos *mercator & rustice* discedite, *& desideratum vitæ genus capessite.* Eja, quid statis, *quid moras nectitis, cur non disceditis? Ibi verò* nolint *illa accipere, quæ antea tanto opere laudârunt, & malunt in consueto genere vitæ perseverare.* Atqui *cur conditionem sibi à Deo factam nolint acceptare: tamen* licet *illis sua opinione* beatis esse, *& illa consequi, quæ exoptarunt. Et hæc quidem perversa hominum levitas & inconstantia non immeritò Deos ad iram & indignationem provocaverit.* Nunquid *enim* causæ est, quin Iupiter meritò *perversis* illis *hominibus irascatur, &* iratus *cum summa indignatione* ambas buccas inflet, neque dicat se posthac tam facilem, *tam clementem* fore ut *stultorum hominum preces exaudiat, illorumq;* votis aures præbeat? Præterea *de incredibili hâc hominum levitate, & incon-*

inconstantia alia seria subjungam in sequentibus, & seriò inquiram, quænam horum caussæ sint; Ne *hanc disputationem* ridens sic percurram *velut aliquis* qui *tractat* jocularia *ad excitandum risum*. Quanquam quid vetat *aliquem etjam* ridentem *& jocantem* veritatem dicere? *Quid, quod hoc sæpe tutius est: Nam qui ridens & jocans vera dicit, alios non adeo offendit, quàm si idem iratus cum stomacho proferret. Nam velut* blá-di *puerorum ingenuorum* ductores *& doctores liberalia ingenia minis & verberibus initiò non terrent, sed* dant *illis* pueris *placentæ partem, aut dulciarÿ* crustula, ut prima *litterarum* elementa *cum summo tædio aliàs conjuncta, libenter* discere velint: *Ita grandioribus etjam pueris risu ac jocularibus virtus atq; veritas instillari potest, quæ severis verbis prolata odiosa & ingrata futura erant.* Sed *quanquam, ut dixi, nihil vetat ridentem vera dicere,* tamen amoto risu *ac ludo abjectisq; jocularibus* seria *tractemus:* Et *age seriò* quæramus; *Quænam hujus levitatis caussa sit quod nemo suâ sorte contentus vivat. Nimirum insatiabilis hominum cupiditas & avaritia, quâ semper aliorum nostris potiora videntur: & quæ avaritia divitiarum congerendarum sibi neq; finem neq; modum ponit. Et teterrimum quidem illud generis humani vitium; eo tamen tetrius est, quod virtutis speciem imitatum turpitudini suæ excusandæ tam egregium prætextum adhibet: Dum nimirum omnes avari eo nomine se opes accumulare dicunt, ut in senectute habeant, unde vivant.* Ille *enim rusticus,* qui gravem terram duro aratro *proscindit & in*vertit, hic caupo perfidus *& perjurus, qui iniquâ mensurâ multa accumulat, velut etjam* miles, *qui militaribus periculis & laboribus rem facere studet,* & nautæ *deniq;, qui* per omne mare, *lucri gratia* audaces *navibus currunt: illi* ajunt sese hâc mente, *hoc consilio, & animi intentione* laborem *agriculturæ, cauponariæ, militiæ, & navigationis* perferre, ut senes *cum laborare amplius nequeant,* in tuta ocia recedant, *vitamq; quietam & tranquillam vivant* cum *nimirum* cibaria *& alimenta, quibus in senectute securè perfruantur,* sibi congesta *& conquisita* sint: Sicut parvola *illa* formica (nam *illa certè licet parva,* magni laboris exemplo *& documento est) messis & æstatis tempore assiduè laborat, &* quodcunque *alimentum* ore *suo* potest, *illud* trahit, & *frugum* acervo, quem struit addit; *nempe inopi suæ senectæ metuens, &* futuri *temporis hiemalis, & inediæ ac famis quæ evenire poterat* non ignara neque incauta. *At heus tu, ô avare, qui nescio quid, ad avaritiam tuam excusandam in medium profers; formicæ*

exemplum quod adducis, dißimile admodum & inconveniens est. Illa enim non ad avaritiam sed ad frugalitatem viam tibi præit: Nec omnes totius mundi opes inexplebili desiderio te appetere, sed bonis partis securè perfrui, & contentum vivere docent. Nimirum quæ formica ubi hiemale tempus propius accesßit, simulq; Aquarius cœleste signum (quod Sol mense Ianuario ingreditur) anni tempus in aliam speciem inversum & permutatum tempestate, pluvijs, & frigoribus contristat, tunc domi manet, nec usquam foras ad alimenta alia conquirenda prorepit, sed secura ocium agit, & cibis illis jam ante æstatis tempore acquisitis prudenter utitur & perfruitur, certa quod suo tempore nova altera meßis futura sit, quâ de novis alimentis denuò sibi poßit proſpicere. Cum interea tu, ô avare, bonis tuis per summam stultitiam nunquam perfruaris; cum etjam nullo tempore ab illis accumulandis quiescas, & te neque æstatis tempore fervidus æstus, neque hiems suo frigore, neque ignis rapidus, neq; mare horridum, nec ferrum deniq; & arma insidiantium latronum à lucro quærendo demoveat: Atq; adeo nil te impediat, nil tibi obstet, nullum laborem recusas, nihil periculi reformides, dum modo id aſſequaris, ne quis alter te ditior sit & inveniatur. Atqui, heus, homo stultißime pariter, & miserrime, qui continuis laboribus & periculis divitias adquiris, continuis sollicitudinibus easdem custodis: Quid juvat & delectat te tantis ærumnis quæsitis non perfrui, sed te timidum, anxium, & sollicitum immensum auri, & argenti pondus sub terrâ altiùs defossâ furtim deponere, & abscondere, illiq; ut Euclio apud Plautum, die & nocte custodiendo pervigil aßidere? Quorsum hæc tam absurdas, tam ridicula? Sed nimirum mihi respondes: Divitias & thesaurum meum integrum mihi servare volo, ô Horati; Quod si divitijs tuis uti cœperis & cottidie aliquid demendo & insumendo thesaurum tuum comminuis, brevi futurum est, ut ad unum nummulum, ad vilem assem, & nihilum paullatim redigatur. Atqui, heus avare, nisi illud fit, quod dixisti, nisi divitiæ tuæ comminuuntur, inq; res & usus necessarios insumuntur, quidnam illarum acervus à te constructus pulcri, quidnam utilitatis & boni habet, præter quamvis aliam terræ glebam. Præterea ut vel maximè sis ditißimus, tuisq; bonis in rebus neceſſarijs utaris, interea in saturando ventre tuo non melioris conditionis eris, quàm quivis alias, qui mediocria tantum poßidet. Esto enim, horreorum tuorum area centum milia medimnorum frumenti triverit, & triturando excusserit, tuaq; granaria ingentes frumenti acervos contineant. Quid

tum

tum postea? Hoc *ipso, homo stolidißime, (cui major fames, quàm venter)* non *plus comedere & bibere poteris, quàm ego, aut quivis alius: non ideo* venter tuus plus capiet, quàm meus. *Velut enim* si inter venales *servos constitutus sis, & sacculum vel* reticulum panis *plenum, reliquorum omnium conservorum tuorum demensum tu* forte *solus* onusto humero vehas, *aut portes: interea* nihilo plus *cibi aut panis dimensi loco* accipies, quàm *quivis alius conservus*, qui nihil portârit: *Ita tu, quantumvis ditißimus divitiarum sæpe copiâ tanquam onere premaris: idcirco neq; plus comedes, neq; jucundius vives, quàm ille qui mediocria potius poßidet, quàm nimia:* Vel dic *& responde mihi, quidnam expediat,* quid *intersit aut* referat, illi, qui intra naturæ leges *atq; terminos* vivat, *qui illis, quibus natura, contentus sit, qui satur non amplius esuriat, neq; oculos, quàm ventrem, prius implere cupiat, mediocria, an multa habeat, &* centum, an mille *agri* jugera *quotannis* aret *& colat, cum centum jugera, & mediocres divitiæ possessorem æquè quotannis alant & saturent, quàm immensæ & nimiæ opes dominum suum.* At *vero hic objicies mihi, &* dices: *Tamen jucundum, &* suave est, ex magno *divitiarum cumulo atq;* acervo *illa quæ necessaria sunt demere, &* tollere, *ex quo cum plurima abstuleris, longè plura tamen adhuc semper restent. Homo stultißime, jam non dicam, quod ex naturâ avaritiæ ex opibus tuis quamvis cumulatißimis nihil demere ausis, semperq; inter opes inops vivas:* Age dum relinquas nobis tantundem ex parvo haurire, *quantum tu ex magno hauris, dum concedas nobis ex mediocribus illa accipere, quibus frigus & fames pellitur, quæ tu vix ex nimiis tuis opibus consequeris: Amplißimas tuas divitias nihil tibi invideo; neq; est* cur tua granaria, *& horrea frumentorum capaciora* plus laudes, nostris *vasibus vimineis, aut* cumeris; *cum hæ modicæ opes tantundem mihi præstent, quantum tibi amplißimæ tuæ. Intolerabilis profecto, & extrema illa avaritiæ intemperantia! quâ idem facitis, quod ille, qui sitiens ex immenso potius flumine, quàm ex mediocri fonte bibere, & sitim restinguere postulat.* Vt *enim* si tibi liquidi *humoris, aut aquæ* non amplius opus sit unâ urnâ, *continente quatuor congios, vel quadraginta libras:* vel *etjam* cyatho *tantum, qui duodecima pars sextarij:* Et dicas; *licet parva illa omnino sit aquæ protio, quâ indigeo; tamen* tantundem ex magno flumine, quàm ex hoc fonticulo mallem sumere. *Quis hanc incontinentem petulantiam, & delicatam malitiam sibi ferendam putet? Eodem modo tu, ó avare, cum tibi*

paucis ad vitam opus sit illa ex immensis opibus, quàm ex modicis divitijs sumere mâvis. Atqui quo id exitu & eventu sæpe facis? Nimirum eo fit ut dum plura appetis, etjam illa quæ habes & una cum illis teipsum perdas. Etenim quemadmodum si qui intemperantes inveniantur, qui sitientes è magno fluvio potius, quàm è rivulo velint bibere, quos nimirum justo plenior, & abundantior aquarum copia delectet, non rarò fit, ut illos acer ille Aufidus Apuliæ aut quivis alius fluvius, una cum ripâ è quâ bibunt, violenter avulsos auferat & submergat: Sic eodem modo plurimi magnas opes vel quærendo vel custodiendo perierunt. At verò quanto securior, & melior illius vita est, qui intra naturæ limites desideria sua continent, seq; tantuli, & tam pusilli tantum egere & opus habere existimat, quanto opus est & sufficit, ad vitam, quantumq; natura postulat? Certè velut si quis sitit, & ex puro aliquo fonte sitim restinguit; is neq; aquâ limo & cæno perturbatã ex arido rivulo bibendo haurit, neq; ex impetuoso aliquo, & rapido flumine bibẽs una cum margine abripitur, vitamq; in undis amittit: Sic qui ex modicis divitijs illa quæ ad vitam agendam necessariâ sunt depromit, is neq; mendicorum more vilem sordidamq; vitam vivit, neq; nimijs divitijs sese in pericula, & calamitates præcipitat. At bona & potißima hominum pars falso ac fallaci cupidine decepta est, & falsa opinione imbuta se non facile emendari patitur. Inquit enim ut vel maximè divitiæ ad vitam jucundiùs agendam non conducant; ad honores tamen consequendos plurimum prosunt. Adeoq; nil divitiarum satis est, neq; quisquam satis opum sibi potest acquirere; quia nimirum tanti sis, quantum habeas, & quo plus divitiarum, hoc etjam plus fidei, honoris, & existimationis tibi adquiris. Itáne verò nihil tibi satis est? O nimis miserum & stultum hominem, & profundis obrutum ignorantiæ tenebris! Nimirum qui suâ etjam miseriâ & morbo delectatur, & in quo desinit remedio locus. Quidnam enim illi facias, aut quomodo illum in viam reducas, in quo stulta malitia callum obduxit? Nimirum quatenus corrigi non vult, & in quantum illud unicè facit & studet ut miser sit, & miseriam ex voto nuncupat: jubeas illum libenter esse miserum, & per totam vitam ærumnis & laboribus opes quærere, ærumnis & laboribus easdem custodire, ijsq; nunquam perfruentem fame ac siti velut Midas aliquis contabescere. Vt quidam sordidus homo & dives quondam Athenis fuisse memoratur, qui sinistros populi, (à quo quamvis ditißimus, propter avaritiam damnabatur) sermones & voces sic solitus fuit contemnere: Populus

pulus *Athenienſis* me *meamq́; vitam tanquam ſordidam* ſibilat *&* *explodit. At verò cum nemo mihi publicè vel foris velit plaudere, egomet* mihi ipſe *ipſi* domi plaudo ſimul ac *meos* nummos, *meos auri & argenti theſauros* in arcâ *meâ reconditos* contemplor. *Egregiam vero voluptatem, quam ex theſaurorum veſtrorum ſola contemplatione tu, tuiq́; ſimiles Eucliones conſequimini. Quam ego profectò veſtrum ſimilis miſer, atq; ſtultus ſim vobis ſi præreptam velim, aut invideam.* Tantalus *ille quemadmodum Poëtæ memorant Iovis filius, vel quod Deos convivio excipiens illorum divinitatem experturus filium ſuum Pelopem coctum illis in cibum appoſuiſſet: Vel quod Deorũ menſæ, adhibitus nectar & ambroſiã clam furatus cũ æqualibus communicavit, Deorumq́; ſecreta temerè effutivit, gravi apud inferos pœnâ adficitur & mento tenus aquæ immerſus* ſitiens *in aquis ore ſuo* captat flumina à labris *ſuis* fugientia, *& eximia poma quæ labris ſuis obverſantur comedere non poteſt. Alter Midas Phrygiæ rex, voti ſui Deorum indulgentiâ particeps factus, dum quidquid tangit in aurum convertit cibo etjam & potu deniq; in aurum transmutato ſuffocari & ſtrangulari incipit.* Quid *tu, ô avare, haſce fabulas* rides? *Adeóne abſurda & ridicula tibi hæc videntur? Homo ſtolidiſsime! Eadem quotidie apud nos fabula agitur mutatis tantum perſonis. Hæc enim* fabula mutato nomine *Tantali* de te narratur, *detracto nomine Midæ in te & omnes avaros congruit. Nam velut Tantalus bonis præſentibus uti non poterat, inq; omnium rerum copiâ eſuriebat, ſitiebat, egebat: Et quemadmodum Midas etjam alimenta ſua in aurum mutans inediâ, & ſiti contabeſcebat : Ita tu omnibus rebus ad cultum & victum neceſſarijs non magis uteris, quàm ſi omnium eſſes egentiſsimus; quin etjam Phrygum regis malitiam imitatus, alimenta cibi & potus vendis & auro permutas, & plenis pecuniarum loculis &* ſaccis *improbo labore* undique *accumulatis &* congeſtis, *nocturno tempore metu ne fures auferãt,* indormis, *idq; aperto ore* inhians, *& plura avidè captãs & licet pecunijs abundes inſomnis de augendis pecunijs cogitans, & avaritia compellẽte illis tot pecunijs tanquã rebus ſacris quas tangere nefas ſit parcere,* & tanquã pictis tabellis gaudere cogeris, *ſine ullo illarũ fructu aut uſu. Atqui quorſum tibi tot & tantæ opes, ſi illarum uſus & fructus tibi non conceditur? Anne verò* neſcis *ad quã rem divitiæ proſint, &* quo nũmus valeat, *aut* quem uſum *in vitâ mortalium* præbeat? *Si ignoras dicam tibi.* Ematur *illis numis* panis, *ematur* olus, *ematur* vini ſextarius, *ematur cibus & potus, quibus* adde *reliqua illa omnia*, quæ ſi negata

ſint

sint, aut quibus cavendum si sit, humana natura doleat, & interire cogatur, ut sunt omnia quibus frigus & fames depellitur. Quod si talem divitiarum usum & finem tibi propositum non habes, alium habeas oportet, nempe ut tuo more non divitias habeas, sed ab illis habearis, non auri dominus sis, sed mancipium, nec opum tuarum possessor, sed earundem pervigil custos. Itane verò inter tot opes, cum miseriâ & inopiâ vivere, quàm earundem liberali usu curas & molestias vitæ profligare mavis? Et anne metu & anxietate te exanimem vigilare, & noctesque diesque totos excubias agere, & malos fures, ædium conflagrationes, & incendia & nequam servos continuò reformidare, ne aliquid convasantes & protinus fugientes te spolient & compilent: Anne, inquam, hoc te juvat, hoc te delectat ut semper timeas, & sollicitus sis? Sane nihil horum tibi invideo, quorum bonorum, si modo bona sint, ego semper pauperrimus esse optarim, mâlimq; potius maximè illis carere, quàm maxime abundare, unde nulla mihi utilitas, sed anxietates & ærumnæ meræ. At verò, quod penè præterieram, hoc tamen tuæ divitiæ tibi præstant, ut apud omnes, & potissimum apud cognatos tuos in honore & amore sis, qui te salvo & incolumi lætentur, te infirmo & ægroto doleant: Et nimirum ubi corpus tuum præternaturali frigore aut æstu tentatum condoluit, aut quivis alius casus & morbus lecto te decumbentem adfixit, habes scilicet qui tibi assideat, qui omnem curam & officium tibi præstet, qui omnia administret, qui ægroto fomenta, & corroborantia nutrimenta præparet, qui medicum muneribus promissis roget & obsecret, ut te jacentem è lecto suscitet, ægrotumq; sublevet, & pristinæ sanitati restituat, ac te uxori & natis, carisque propinquis & vicinis morbo mortiq; ereptum reddat, & restituat. Homo vanissime! longè erras & falleris opinione tuâ. Non ita tui erga te adfecti & animati sunt. Nam omnes te mortuum jamdudum optant, Illi etjam quibus debebas esse carissimus. Et non uxor tua salvum te vult, non filius tuus, non fratres & consanguinei tui, omnes vicini, omnes noti pueri, puellæ, viri mulieres, senes juvenes te oderunt, & nunquā è morbo liberari exoptant. Et merito illud quidem tuo. Quid enim caussæ est, quod miraris si omnibus odio sis, & nemo illum amorem præstet, quem non merearis, si nemo te amet, cum omnium odio dignus sis, cum argento, auro, opibusq; tuis undiq; accumulandis tuos cognatos, & omnes homines, atq; omnia adeo postponas? At verò si tu avarus existens postules ut ameris, & cognatos & consanguineos tuos, quos nullo labore

bore *aut industriâ tuâ paratos sola* natura tibi dat *in amicitiâ & benivolentiâ erga te* retinere, *&* amicos *& benivoles tibi conservare* velis, *frustra sis, & tanquam homo* infelix *oleum &* operam perdas: *non minus* ut *ille,* qui asellum *naturâ tardum & ignavum* in campo frenis parentem *& obtemperantem velociter* currere doceat. *Nam veluti contra asinorum naturam frenis obedire, & velociter* currere; *ita contra cognatorum & omnium hominum naturam, illum amare, qui omnium odio dignus sit.* Denique *tandem* finis sit quærendi *divitias, tandem ubi satis opũ acquisieris, tui misertus quæsitis aliquando utere, & miser esse desine,* & quo plus *divitiarũ congesseris, eo minus alijs quærendis inhias, cũq; plus* habeas, *quàm olim habuisti,* pauperiẽ minus metuas, *quã olim,* & *illo,* quod *antea tantopere* avebas parto *& acquisito* labores *& ærumnas tuas aliquando* finire incipias: Nec facias quod Numidius *quidam* olim *fecit,* Non longa fabula est, *cujus recitatione diu te non detinebo. adeo* dives *fuit* ut *non numeraret aut ponderaret* nummos *suos, sed capacioribus mensuris illos* metiretur: *Interea* ita sordidus ut *vili quovis* servo se non unquam melius vestiret, *& parcè tenuiterq; mendicorum more viveret. Nam quamdiu vivebat, tamdiu* usque ad extremum tempus *vitæ suæ* metuebat, ne *sumptuosiori cultu & liberaliori victu ad paupertatem redigeretur, &* victus penuria, *& necessariarum rerum inopia* se *in senectute* opprimeret. At *tandem hujus* liberta, *sive uxor, sive concubina ejus fuerit, miserta* hunc *à metu & sollicitudine vanâ liberavit, illumq;* securi *per* medum divisit *percussit atq; interemit: Certè velut* Tyndari filiarum fortissima, *& altera Clytemnæstra. Nam velut illa Agamemnonem maritum suum è Trojano bello reversum adjuvante adultero Ægistho securi interemit ita hæc Numidium maritum suum. Hisce tot ac tantis argumentis convictus, ò avare, nunquid habes ulterius: quod possis contradicere. At nimirum prodigalitatis vicium mihi obicis, ut ejus respectu avaritia tua, quam parsimoniam appellas, honestior videatur, & dices mihi, quia igitur tu, ò Horati, res meas me custodire & conservare vetas:* quid igitur suades mihi? *nonne* ut vivam *velut* Mænius *homo luxuriosus & prodigus, qui omne patrimonium suum prodegit,* aut ut sic *vivam* ut Nomentanus *ille alter nepos omnia sua bona profundens & dilapidans. Quia enim parcus esse non debeo, necesse est ut sim prodigus. Homo vanissimè qui quidem res maxime, adversas & contrarias, atq; adeo quæ* adversis *frontibus, ut medium & extremitas* inter sese pugnant *conjungere, &*

 libera-

liberalitatem cum luxuriâ confundere & componere, & pro uno atq; eodem statuere pergis & perseveras. Etenim ego Horatius, cum te à sordibus dehortor, non statim jubeo te contrarium vitium capessere, & prodigum esse, cumq; te avarum fieri veto, non eo nomine continuò jubeo te vappam fatuum, insulsum, hominem nequam, nulliusq; bonæ frugis nebulonem omnia profundentem fieri. Est enim adhuc aliquod inter hæc duo extrema mala, bonum intermedium ad quod te adhortor; est aliquid medium inter Tanain Mæcenatis libertum spadonem cui revulsis testibus scrotum plane vacuum est, & inter Viselli socerum, qui herniosus scrotum tumidissum habet. Nempe cui integra intestina in scrotum deciderunt. Quemadmodum autem inter Spadones & Herniosos intermedij sunt homines sani, ita inter avaros & luxuriosos liberales. Est enim modus & mediocritas in rebus humanis, ad quam quisquis res & actiones suas instituerit, sine peccato est & in reprehensionem non cadit, & sunt certi termini, definiti limites, & fines denique à naturâ constituti, ultra & citra, infra vel supra quos quicquid rectum & conveniens est, non potest consistere, sed vel ad excessum, vel ad defectum degenerat. Sed post longam digressionem & disputationem, quam de avaris habui, tandem ad institutum meum de quo initio dixi revertor, & illuc unde abij redeo, & principio hujus disputationis propositam quæstionem repeto, qui nimirum fiat, & quid causæ sit, ut nemo avarus se & suam vitæ condicionem approbet, ut laudet potius illos, qui diversa vitæ genera & studia sequuntur, qui fiat quod avaris aliorum opes ac divitiæ semper potiores videantur suis, quodque aliena capella, quod dici solet, semper grandius ac distentius uber gerat, ut propterea invidiâ ac livore contabescat, neque se suasq; facultates cum pauperiorum turba quæ longè major est, quàm turba divitum, comparet, & non potius se pauperiores, quam ditiores respicit, sed qui fiat ut hunc atque hunc ditiorem adhuc opibus suis superare studeat ac laboret. Hinc nimirum insanabilis ille morbus in avaris, si enim cum pauperibus sese conferrent, viderent se multis ditiores & feliciores esse, eorq; nomine suâ fortunâ acquiescerent. Iam verò cum se ditiores tantum ob oculos ponant, illosq; opibus antecellere studeant, fit ut divitiarum acquirendarum nunquam finem faciant. Sic enim avaro ad opes festinanti & contendenti semper aliquis locupletior obstat, quo minus bonis suis contentus esse possit, quem adhuc divitijs vincere cupiat: cum omnis avarus illud sibi propositum habeat; ne quis se ditior vel opulentior inveniatur; Velut enim cum in cer-

in certaminibus Olympicis cum velocium equorum ungulæ currus ex carceribus *ubi equi parati ad currendum stant*, emissos *summa velocitate* abripit, *tunc* auriga, instat equis *illis* qui suos *equos* vincunt *&* *cursu prævertunt. Illos enim ut antevertat quantum fieri potest celerrimè sequitur* illum *equum qui sequitur* præteritum *& à tergo relictum, &* inter *posteriores &* extremos *equos* euntem, *non expectans, sed* contemnens: *eodem modo avarus illos qui se divitijs præcedunt & antecellunt ob oculos ponit, & vincere studet, interea pauperiores infra se non respicit.* Inde *nimirum* fit, *ut in avaris pecuniæ studium nunquam quiescat, ne tum quidem cum moritur*, & ut raro queamus reperire, qui se *condicione suâ contentum, & beatum* vixisse dicat, & *humanæ* vitæ tempore exacto *& finito* contentus *è vitâ*, ut conviva *aliquis è convivio* satur *migret & vitæ plenus libenter* discedat. Iam satis est. *Modum enim mihi statuam de avaris dicendi, &* ne *tu, ô Mæcenas*, putes me Crispini lippi *Philosophi Stoici Poëtæ verbosi ac inepti* scrinia *& librorum capsas* compilasse, *& illinc hanc de avaris loquacitatem mutuasse, finem faciam, &* verbum non amplius addam.

SATVRA II.

AMbubajarum *infamiumq; atq; impudicarum mulierum tibicinum* collegia *atq; conventus*, Pharmacopolæ, *aliptæ, pigmentarij, unguentarij*, mendici, *assentatores, agyrtæ*, mimæ, *histriones, Pantomimi, Scenici, gesticulatores, personati, ludiones, saltatores, funambuli, grallatores, & deniq; omnes luxuriosi & perditi Servilij* Balathronis *similes*; hoc genus *hominum* omne, *& universum*, mæstum atque sollicitum *inq; luctu & mærore* est morte M. Tigellij *Hermogenis Musici &* Cantoris, *horum omnium summi & incomparabilis patroni.* Quippe *erga hosce omnes liberalis &* benignus erat, *summâq; animi promtitudine hisce largiebatur:* Contra *autem idem* hic *Tigellius*, ne *ab alijs* prodigus, *suaq; in alios profundere luxuriosè* dicatur metuens, nolit *aliquid* pauperi *& egeno* amico *suo* dare, unde *victum & amictum haberet*, & frigus duramque famem *ac sitim* posset depellere. Hunc *Hermogenem Tigellium* si percunctetis, cur præclaram rem, *& amplissimum patrimonium* avi atque parentis *beneficio sibi heredi relictum, immensâ gulæ voracitate ac* glu-

vie *heredibus virisq; bonis* ingratâ, omnia obsonia *& delicata fercula* numis conductis, *inq; usuram acceptis* coëmens, *tanquam malus profusus, ac dissolutus* stringat, *attenuet, ac consumat*: Tunc percunctanti respondet, quod sordidus, *illiberalis*, animique parvi *atq; pusilli* haberi *ab alijs* nolit: *Eoq; nomine* ab his, *scurris ac nebulonibus tanquam liberalis & magnificus* laudatur, *contra* ab illis *amicis virisq; bonis tanquam avarus* culpatur. *Alter* Fusidius *avarus ille fœnerator, alicujus* vappæ *hominis insulsi, fatui, prodigiq; frugiperdæ*, & nebulonis famam timet, *& subire non vult, vir* agris, *&* nummis in fœnore positis *atq; collocatis* dives, *ac opulentus. Nempe hic fœnerator atrocissimus, singulis mensibus quinq;* mercedes *à capitali summâ exigit & requirit, quæ usura intolerabilis singulis viginti mensibus sortem exæquat*, & quanto quisque est perditior, *quanto luxuriosior, & prodigalior*; tanto etjam *graviores ab ipso usuras exsolvendas* urget, *& impellit*; sectatur nomina *atq; debita* tyronum, *studetq; ut junioribus fœneretur, qui paullo ante ex* Ephebis *egressi*, virili veste, *ac togâ* modo sumtâ *ad explendam libidinem avidissimi sunt, &* sub patribus duris, *& avaris, qui filijs nihil suppeditare volunt, vivunt*. Quis *autem ubi hæc tam indigna, tam inaudita, tam incredibilia in* Repub. *Romanâ fieri vidit &* audivit, *præ indignatione* non exclamet: O maxime Iupiter, *cur non perdis tam sceleratum fœneratorem? At fortasse dices mihi: quod Fusidius forte in se, in suum usum, suum victum & amictum* pro quæstus *magnitudine* lucrū facit: *ut quo plura acquirat, eo etjam liberaliùs & sumptuosius vivat*. Hic *verò, quicunq; hæc mihi obijcis*, vix possis credere, quàm *hic Fusidius* sibi non amicus, *quàm sibi infensus & infestus* sit, *dum per extremas sordes suum ipsius genium defraudat*: Ita ut pater ille *Menedemus* quem Terentij fabula *Heautontimorumenos* inducit miserum & *calamitosum* vixisse, *pœnasq; à se exegisse*, quod *nimiâ duritiâ & morositate sua* filium *Cliniam à se* fugaverit, *& in Asiam proficisci compulerit, sese ipsum* non pejus excruciaverit, atque hic *fœnerator Fusidius*.

Si quis *jam ex me* Horatio quæret, quonam hæc res pertineat, *& quorsum hæc de Tigellio, & Fusidio à me dicta sint*; Illi *respondebo*, eò *scilicet hæc pertinere*, quod *homines* stulti dum vitia *fugiunt & evitant* in contraria *vitia* currunt, *Dumq; nolunt in avaritiæ crimen incidere, in contrarium prodigalitatem, incidunt, & contra. Cujus quidem rei plurima quotidie videmus exempla*. Malthinus *mollis ille & delicatus* eques

eques Romanus ambulat tunicis *ad talos ad terram usq; deorsum* missis: Est *contra alter quispiam, qui ambulat tunicis* usque ad obscœnum inguen subductis, *& elevatis, quibus vix obscœnæ corporis partes teguntur, movens risum &* facetus *videri volens*: Rufillus *vir ille mulierosus & delicatus* olet pastillos *globulos & rebus odoratis compositos, & suavißimos odores exhalat; contra alter* Gorgonius *olet* hircum *odorem sub alis teterrimum.* Nihil *enim apud hos* medium est, *nulla in rebus mediocritas, tantum in defectu aut excessu versantur.* Sunt *quidam* qui *adeo circa adulteria insaniunt, ut* nullam *mulierem* tetigisse velint, nisi *matronas* illas, quarum talos *& pedes* instita *ad stolam &* vestem *candidam* assuta, *& lata fascia, prætexta,* tegit *& abscondit*; contra alius *circa scortationes adeo furioso amore insanit, ut* nullam *amare velit*, nisi in olenti fornice *& fœdo lupanari publicè in quæstu* prostantem. Homo *enim* quidam *in hac Republicâ satis* notus cum è fornice exiret, *tanquam continentem* (*qui scortator potius ad publicam meretricem, quam adulter ad alterius conjugem iverit*) *se laudavit, & dixit*: *Cato Censorius cum virum honestum è fornice egressum vidisset, illum laudavit, tanquam qui sine adulterio libidinem expleret, ejusq;* Catonis divina sententia *ita* inquit: macte virtute esto *juvenis optime.* nam ubi tetra *veneris* libido venas *virilium membrorum* inflavit, *& exitavit*, æquum est, juvenes huc *in lupanar* descendere, non *autem* alienas uxores permolere *& violare. Contra alter* Cupiennius *Libo Cumanus, summus adulter, &* mirator *atq; amator maximus* cuni *mulieris* albi *nobilis & matronalis*, inquit; *ego* nolim me sic laudari, *ut ille à Catone laudatus fuit, potiusq; ad matronas commearem.* Est *autem* operæ pretium audire *& considerare, ò cives Romani,* qui non vultis mæchis *nequitiam & adulteria sua* rectè procedere: *agite vos qui mæchos odistis, audite quæ patiantur ipsi mæchi,* ut *illi* ex omni parte laborent, *ut omnibus laboribus, omnibus periculis, omnibus malis exerceantur*, utque illis *nulla unquam sincera* voluptas, *sed illa* multo *semper* dolore corrupta, *plus aloës quàm mellis habens*, atque hæc rara *atq; infrequens admodum* cadat *& contingat,* sæpe inter dura *famæ & vitæ* pericula. Hic *enim adulter dum à marito cum uxore deprehensus, pœnas adulterij effugere voluit* è tecto *in subjectam terram* sese præcipitavit; ille *alter deprehensus horribilibus* flagellis ad mortem usq; cæsus est: hic *alter adulter crudelem maritum* fugiens in acres

vehementes ac immanes prædones, *qui noctis tempore plateas obsident, & prætereuntes spoliant* incidit: hic *alter quidam mœchus* pro corpore *ac vitâ redimendâ* nummos dedit: hunc *alium servi militum* calones *comprehendentes* permixerunt *& construprarunt*: quin etjam illud *aliquando* accidit, ut cuidam *mœcho deprehenso*, testes, caudam salacem, *& viri membrum petulans & libidinosum*, ferrum demeteret *& præsecaret. Quod cum contigisset* omnes *homines* jure *& recte illud factum esse dicebant: unus sergius* Galba *jureconsultus, & ipse insignis mœchus contra mœchos pronunciare noluit & jure factum esse* negabat. *Cum magnis igitur laboribus, summis periculis illa matronarum consectatio conjuncta est.* At quanto tutior merx, *quanto melior voluptas, quanto securior conditio* est in classe secundâ, *& ordine mulierum altero, illarum* dico, *quæ neq; ingenuæ sunt, neq; servæ amplius*, libertinarum? in quas C. *Crispus* Salustius *non minus insanit*, non minus insano *amore insanos sumptus* facit, quam qui mœchatur, *& ingenuam alterius conjugem adulterat. Nimirum in quas immensum patrimonium profudit.* At hic *tamen Salustius* si *liberalitatem* vellet *exercere &* bonus atque benignus esse, *tunc patrimonium suum non omnino prodigeret, sed* quantum *ad liberalitatem ostendendam* satis esset daret, *idq; in* quantum *illud* res *& facultates suæ*, quatenus *illud* ratio *& prudentia* suaderet, & quâ *liberalem &* munificum esse decet, *idq;* modestè *ne in profusionis vitium incideret*; neque sibi*met ipsi* damno & dedecori foret, *simulq; cum re & opibus suis honesti viri nomen bonamq; famam non perderet.* Verum hoc uno sese amplectitur *sibiq; placet, hoc uno sese venditat*, hoc *unum* amat, hoc *unum* laudat, *quod respondit cum è senatu ejiceretur, ipsiq; vagæ libertinarum libidines à senatu objectæ essent*: ego *libertinarum tantum sectator sum, &* nullam matronam tango. *Prorsus* ut Marsæjus *ille* amator *nobilissimæ meretricis* Originis quondam *fecit*: ille *inquam Marsæjus* qui patrium fundum laremque, *qui agros & domum paternam, & omne suum patrimonium* mimæ, *& meretrici Origini* donat, *inquit*: Nil unquam *rei* mihi fuerit cum alienis uxoribus. *At, heus tu, qui tibi ipsi tanquam vir frugi & quantivis precij blandiris, tuamq; libidinem excusare studes: nulla quidem tibi res est cum alienis uxoribus:* verum *contra res tibi* est cum mimis, *res tibi* est cum *publicis scortis &* meretricibus, unde *honesta tua* fama *&*

existi-

existimatio longè gravius malum trahit, *longè majus damnum persentit* quàm res, *opes & facultates tuæ*. An *verò* tibi abundè satis est, *& ad honestam famam tuendam sufficere videtur matronæ* personam evitare, *& in alijs mulieribus idem damnum experiri, &* non illud *potius evitare*, quicquid ubique *nocet &* officit? *Iam verò* bonam famam. *& honestam existimationem* deperdere, *& rem ac patrimonium* à patre relictum oblimare *& paulatim imminuere, illud semper &* ubique malum est, *sive in ingenuâ illud fiat, sive in ancillâ, sive etjam in togatâ meretrice*. Quidnam *enim refert vel* interest, *quando peccas, sive* in ancillâ *sive deniq;* in togatâ *aliquâ meretrice in fornice prostanti* pecces, *& hujus an illius amore rem & famam tuam deperdas? Sanè quod mœchi longè sint miserrimi nemo negat, nemo inficias ibit.* Villius *enim adulter & matronarum sectator, qui* in Faustâ Sullæ *filiâ, quam stuprabat, Sullæ* gener *fuit (nam* miser *ille* hoc uno nomine deceptus *in periculum devenit quod nobilißimam matronam* L. *Annij Milonis conjugem adulterare vellet)* pænas usque & supra quam satis est dedit, *quippe qui* pugnis *miserabiliter* cæsus, ferreisque *armis* petitus *fuit, & non intromissus, sed* foribus exclusus *fuit, eo* quod Longarenus *ille maritus Milo* intus esset, *& mœchum Villium malè acceptaret.* Huic *Villio* si *animus ratio ac providentia* diceret, *idq;* per verba mutonis *virilis membri hæc* tanta mala, *in quæ incidit dum matronas sectatur,* videntis, *& ob id meritò indignantis, &* hisce *verbis in dominum suum insurgeret: ô Villi,* quid vis tibi, *aut quid quæris, dum adeo furioso impetu matronas sectaris?* nunquid ego *hoc* à te postulo? *nunquid* cum mea ira *& Veneris prurigo in me incaluit &* conferbuit cunnum *quendam* magno consule prognatum, aut *candidâ* stolâ *matronali veste tectum ac velatum à te* deposco? *ego sanè vilioribus contentus, hujusmodi cum tantis periculis conjuncta nunquam à te postulavi. Age si, inquam, hisce verbis muto villium dominum suum compellaret,* quidnam *ipsi* responderet? *nimirum* puella *hæc, quam amo,* magno patre *Sullâ* prognata est, *ac proinde formosior ac jucundior. O incredibiles, & non ferendas hominis delitias!* At quanto meliora, *& quanto diversa &* pugnantia illis *pravis concupiscentijs ipsa* natura suarum opum *& facultatum* dives, *& his quæ usus exigit abundans,* monet, si modo tu *illas naturæ opes* rectè dispensare, *& cum ratione erogare* velis, *& voluptatem Veneris à naturâ maximè facilem & parabilem, acceptare,* & *illa quæ* fugienda *sunt cum petendis*

tendis

tendis non confundere & permiscere. Anne enim putas nil referre aut interesse tuone vitio an rerum labores? malâne concupiscentiâ & animi morbo, an verò rerum penuriâ & egestate detinearis? dum matronas stuprare studes, cum voluptem Veneris licitis modis explere possis, tuoq́; vitio appetis vetita & interdicta, cum licita & concessa, quæ idem tibi præstare possent, in promptu tibi sint. Quare ne tuæ stultitiæ quondam te pœniteat desine matronas aliorumq́; conjuges sectari, unde plus mali laboris haurire est atq́; licet, quam ex re & amore fructus jucunditatis & utilitatis decerpere. Quid, quod togatæ meretricis formâ & pulchritudine matronis illis nihil concedant. Neque enim matronæ huic quam deperis in tanto corporis ornatu inter niveos uniones, & virides lapillos ac Smaragdos, quibus expolitur (licet, ô Cerinthe puer delicate ac formose hoc tuum sit, ut nimirum eximia tua forma hujusmodi ornamentis commendetur) femur non magis tener, aut crus rectius, & reliqua corporis membra politiora & formosiora sunt, quam si hujusmodi ornamenta adhibita non forent: atque etjam persæpe togatæ meretrici, hæc omnia meliora & formosiora sunt. Huc adde, quod togata vel mercenaria corporis sui mercem, sine ullo lenocinio, pigmento aut fuco venalem gestat, quibus matronæ sæpe turpissimos corporis nævos occultant. Togata enim illud omne quod venale habet apertè detegit & ostendit; nec si quid pulcri, formosi, aut honesti in corpore suo est, illud jactat & venditat, omniumq́; oculis conspiciendum ostentat, nec deniq́; quærit, quo illa quæ in corpore turpia sunt, cælet & abscondat. Sane illi, qui togatas sequuntur, longè meliori semper condicione sunt, quàm qui aliorum conjuges & matronas nobiles. Quippe qui in eligendis fœminis illam, quam reges in equis emendis curam adhibere possunt. Regibus enim laudabili consuetudine hic mos introductus est, ut ubi equos mercantur illos non nudos, sed aliquo stragulo opertos, & tectos inspiciant, ne (ut sæpe contingere solet) decora equorum facies & egregius corporis habitus, quod pulchræ ipsis clunes sint, breve caput, cervix ardua & erecta, ne, inquam, si hæc molli aut debili pede fulta & sustentata sint, vitiumq́; in pedibus aut incessu lateat emptorem hiantem, & emendi cupiditate [illegible] ducat & seducat, ut propter illa quæ in equo laudanda sunt, non videat illa, quæ reprehensionem merentur. Hoc illi reges rectè & sapienter faciunt, ne illa, quæ in equi corpore, optima & laudanda sunt, tanquam Lynceus Apharei filius, (qui etjam per arborum truncos & per

terram

terram usq; ad inferos videre potuisse dicitur) oculis *tuis* contemplaris: *contra autem* illa, quæ mala sunt Hypsæâ *muliere vitio oculorum laborante* cæcior spectes *& intuearis. Hujus providentiæ copia non matronarum, sed togatarum meretricum sectatoribus concessa est, quas nimirum ille nudas intuens, ex accuratâ omnium membrorum inspectione judicium ferre & inde sibi formosam eligere potest, & inter contemplandum, in hæc verba exclamare:* ô crus, *tenerum,* ô brachia *candida & formosa!* Verum *hoc contra reprehendendum est, quod sit sine magnis natibus, &* depygis, *quod* nasuta, *quod tanquam gibbosa* brevi latere & longo pede *deformata* est. *Hujusmodi liberum de omnibus membris judicium togatarum amatoribus concessum est: at contra* præter *nudam* faciem *in* matronâ nihil possis cernere, *quæ* cetera *corporis membra* veste *ad terram usq; deorsum* missâ tegit *& abscondit*, nisi *fortè matrona* Catiæ *similis* sit, *quæ propter crurum pulchritudinem neglecto pudore, veste accinctâ ac subductâ utebatur.* Si *autem illo insano intemperantiæ genere laborabis, & illa amabis ac* appetes, *quæ & legibus vetita &* interdicta, *& custodibus tanquam* vallo *septa &* circundata *sunt*, *matronam nimirum alterius conjugem, tot rebus circumvallatam & munitam* (nam *difficultas potiundi, quod matrona ita custodiatur*, te *amore furiosum &* insanum facit) tunc multæ res tibi officiens, *teq; impedient, quo minus voti tui compos fias, ut sunt* custodes, *à quibus matrona observatur,* lectica, *quâ à servis lectarijs vehitur,* cinifiones, *qui calamistris crines inurunt & crispant, mulieres assentatrices &* parasitæ, stola *candida muliebris vestis* ad talos *usq;* demissa, & palla *matronæ circumjecta &* circumdata, & plurima *alia*, quæ invideant, *& prohibeant, quo minus* res *& matronæ corpus* purè tibi appareat, *& totum conspiciatur.* Altera *autem meretrix togata* nihil obstat, *nihil impedit, quo minus eam totam intuearis* *Quin etjam non adeo opus, ut vestes removeat,* est *enim ac licet* tibi *in multitiis suis &* Cois, *ac pellucidis vestibus illam* pæne ut nudam videre, ne *fortè sit* crure malo *& incurvo*, ne pede sit *magno &* deformi, *adeoq; omnia habes in promptu & propatulo ut* oculo *& aspectu tuo* omne latus *& universa corporis membra* metiri possis. *Vnde non immerito togata mulier matronarum sectatorem ita interrogare poterat: quanta illa tua insania ac dementia est!* anne tibi *à matrona* mavis insidijs fieri, *& adulterinas pro bonis mercibus obtrudi:* & pretium ante *à te auferri &* avelli, quam mercem *tibi* ostendi *ac demonstrari?*

Huic nimirum respondebit, insanus ille matronarum sectator : nolo ego mihi facilem illam & omnibus expositam Venerem , sed illam, quæ acquisitu sit difficilima. Quemadmodum enim venator *aliquem* leporem sic positum, *quemadmodum togata domi suæ omnibus exposita est, ut ab omnibus sine labore accipi poßit ,* tangere *& accipere* nolit(ut *scilicet* in altâ nive, *per studiū & labores ipsum* sectetur *& capiat, & venandi voluptate afficiatur) & proinde venando tubam inflat* & cantat, *& leporem laboriosè captum in cibum sibi ac suis* apponit : *sic etjam* amor meus *sese habet. Nempe qui* huic *venatori* similis est , *& velut venator non vult tangere leporem in cubili positum, sic togatam* in medio *omnibus* expositam, *cum fastidio* transvolat, & fugientia *& cum laboribus ac periculis consequenda* captat *& sectatur. At vero, homo miserrime,* sperasne hisce versiculis *& cantionibus amatorijs ad matronam venatoris more captandam comparatis, quibus incontinentiam tuam detegis amaras* cūras *&* dolores, & *amoris* æstus *& incendia , &* graves *sollicitudines* è pectore *expelli* posse *& penitus profligari ? Sanè quibus vesana libidinis fomenta magis magisq; incenduntur : Quod si secundum naturam optimam vivendi ducem vitam tuam institueres longè meliùs & rectiùs sese res tuæ haberent.* Nonne *ipsa* natura *hisce* cupidinibus, *& effrenatis libidinibus aliquem* modum, *aliquem terminum ac finem* statuit *& præscripsit ?* Et quem *finem ac modum inquirere pluš hominibus prodest , quàm nullis metis ac terminis cupiditatis sitim in infinita extendere , Qualia sunt illud cognoscere,* quidnam *natura æquo animo* latura *sit, si* negatum *ipsi sit , aut si non consequatur; quidnam illud sit, quo natura sine suo detrimento carere poßit:*quid *contra illud sit, quod si negetur sibi* sit dolitura *& quo sine suo damno & interitu carere nequeat. Hoc, inquam,* plus prodest quærere , & *illa quæ vana ac* inania *sunt ab illis, quæ plena &* solida *sunt , & inutilia ab utilibus & necessarijs dividere,* abscindere *& separare.* Num cum *avida* sitis fauces *tuas* urit *& exsiccat* aurea quæris pocula ? *Vana ac inanis hæc est cupiditas.* Num esuriens omnia *reliqua fercula fastidiosè aspernaris & reijcis,* præter pavonem, *Phasianum,* rhombum, *aliasq; delitias ? vana & inutilis hæc est cupiditas.* Num cum inguina tibi tument ,*& ad nefandam libidinem incitantur, ubi ancilla quædam ,* aut verna puer *ex* ancillâ *natus, tibi* præsto est, in quem impetus *ille tuæ libidinis* continuo fiat, mâlis *potius* tentigine *ardentißimæ libidinis & stimulatione* rumpi *& excruciari , quàm Venere conceßâ uti ? Hoc*

quidem

quidem non vanum amplius ac inutile, sed stultum pariter ac damnosum foret. Profecto non ego Horatius vellem, si talium rerum copia in promptu mihi foret, in periculum venire, sed Venere qualicunq; acquiescere. Namque necessitati, non voluptati inserviendum scio, & amo Venerem, quæ facile parari potest, & parvo cõstat, sine magno pretio & periculo. At matronam illam, quæ quærenti, quando venire debeam, vel quando ipsa ad me venire velit, respondeat paulo post ad me veni, paulo post tibi adero; quæ interroganti, ecquid consentiat, suiq; copiam mihi dare velit, respondeat se consentire quidem, sed pluris & majori pretio; quæ percunctanti, ecquid certo sui concubitum sperare debeam, illam conditionem adjiciat; si vir domo exierit: hanc talem, de quâ dixi, ego nolo, ait Philodemus Philosophus Epicureus; sed tanquam malam hostibus meis exopto: sibi contra illam expetit, quæ magno pretio non constat, & quæ cum venire jussa est non cunctetur, aut moras nectat, ut matrona, quæ sit sine corporis vitio candida & recta, non gibbosa, quæ hactenus munda sit, & tantum modo mediocri corporis ornatu contenta? ita ut neque crepidis, cothurnis adjuta, multisq; ordinibus & compagibus caput ædificans longior esse, quàm sit, & cerussâ pigmentis & fuco magis alba videri velit, quam natura ipsi det & concedat. Hæc talis, de quâ dixi ubi mecum concumbit, suiq; copiam mihi facit, & dextram corporis sui partem lateri meo lævo supposuit, tunc eadem mihi est, quæ Ilia Rhea Marti fuit, aut Egeria Nympha Numæ Pompilio fœmina formosissima, adeoq; quodlibet nomen formosæ mulieris ipsi do atq; impono; nec vereor ne in tali concubitu dum amori operam do, vir de uxoris infidelitate certior factus, rure ex agro suo domum recurrat, ne à marito dum tardiùs intromittitur, janua frangatur, ne canis excitatus latret, ne domus magno strepitu & tumultu undique perculsa & impulsa resonet, ne vepallida mulier periculi magnitudine consternata è lecto desiliat, ancilla aut mulier adulterij conciliatrix, & peccati herilis conscia, exclamet sese esse miseram & perijsse: & hæc conciliatrix cruribus suis metuat, ne illis truncetur, matrona deprehensa doti suæ timeat, ne adulterij convicta illâ mulctetur, deniq; egomet mihi ipsi metuam, ne in grandia pericula incidam. Nimirum ubi cum in magnâ trepidatione ac timore ita à marito urgerer, ut discinctâ tunicâ & nudo pede aufugiendum mihi sit, ne nummi pereant, quibus deprehensus cogerer me redimere, ne quod struprum alijs inferre voluerim ipse patiar, & pyga, na-

tesq́; meæ in periculum adducantur, aut denique *ne honesta fama & existimatio mea quadam infamiæ nota aspergatur. Sanè in adulterio à marito* deprehendi *longè* est miserrimum, *id quod* vel Fabio *Jurisconsulto* judice *& sententiam dicente* vincam, *defendam, & obtinebo, nempe qui & ipse aliquando in adulterio deprehensus, bujus rei veritatem exemplo suo comprobavit.*

SATYRA III.

HOc vitium *& prava consuetudo* omnibus cantoribus *communis & peculiaris* est, ut inter amicos *convivas* cantare nunquam *in animum suum* inducant, *si nimirum precibus alicujus amici* rogati *sint*: *contra ut* nunquam *à canendo* desistant *& quiescant, ubi* non jussi *ab aliquo, sed suâ sponte & ultrò cantare inceperunt.* Hoc *vitium Hermogenes* ille Tigellius ex Sardiniâ *oriundus in more & consuetudine positum* habebat, *adeoq́; contumacis ac præfracti animi fuit, ut si ipse Augustus* Cæsar (qui *tamen tanquam imperator ipsum* posset cogere, si *noluisset*) per amicitiam patris *sui Iulij Cæsaris*, & *per* suam *propriam amicitiam & familiaritatem ab ipso* peteret, *ut cantaret*, non quidquam *apud ipsum impetraret &* proficeret. *Contra* si *ipsum* Tigellium *cantandi libido cepisset, ipsiq́;* collibuisset, *tunc lætissimâ cantione* Io Bacche *illud clarè invocaret &* citaret modo summâ voce *chordâ supremâ & acutissimâ*, modo hâc *voce*, quæ *in* quatuor chordis ima *& gravissima est*; *idq́; à principio cænæ & ab* ovo *primæ mensæ, primo ferculo* usque ad mala, *pyra, & reliqua bellaria secundæ mensæ, atq́; ita nimis impudenter tacebat, nimis impudenter cantabat. Atq́; adeo* illi homini nil æquale fuit, *qui semper sibi ipsi dissimilis, inconstans, varius, multiplex nullam vitæ æqualitatem retinebat.* Qui sæpe currebat veluti hostem fugiens, persæpe *lento gradu sensim ac pedentim incedebat*, velut *aliquis*, qui Iunonis sacra *dorso suo* ferret, *& cautè ne caderet incederet*: *Adeoq́; modo citus modo tardus*, sæpe ducentos servos *ex varijs nebulonibus hinc inde collectos*, sæpe *tantum* decem *in comitatu secum* habebat, modo *loquebatur* omnia magna *& sublimia potentissimos* reges, *summos imperatores*, & tetrarchas, *contra* modo dicebat *utinam* mihi *tenuis & frugalis victus contingat*, & mensa *qualis pauperum* est tripes, *inq́; ipsâ* concha *marina* puri

puri sali sine ullo alio condimento plena, & toga, quæ quamvis crassa & tenui ac vili panno contexta, frigus tamen defendere, arcere & propulsare possit. Huic Tigellio homini parco & frugali, & paucis contento scilicet si uno tempore decies contena milia nummorum immensam pecuniæ summam dedisses, quinque diebus omnia absumpsisset, nihilq; in loculis amplius ipsi reliquum erat. Integras noctes usq; ad ipsum mane vigilabat. Contra diem totum stertebat, omniaq; ebriorum more contra naturæ ordinem immutabat. Deniq; nihil in universo mundo tam impar, tam inæquale, tam dissimile inventum fuit, atq; hic M. Hermogenes Tigellius. Si nunc aliquis mihi dicat: quid tu, ô Horati, nunc agis, quid de te sentis, qui tantâ dicendi libertate in alterius vitia & inconstantiam inquiris? Quid? nullane vitia tu habes, & nunquid tu solus inter mortales nulla unquam criminis labe aspersus es? Imò verò ego Horatius si non hanc animi inconstantiam, saltem alia vitia habeo, & quæ fortassis, non minora sunt, & æquè gravia illis, quibus Tigellius laboravit, quod ingenuè fateor. Cum Mævius contumeliosus & maledicus Poëta Novium absentem virum probum & honestum carperet, & calumniosè proscinderet, quidam amicorum astantium ad ipsum ait; heus tu, ô Mævi, ignorasne te ipsum, & tua vitia? an verò te tanquam nobis ignotum & non perspectum verba dare putas, & te tuamq; vitam nos latere ac fugere, ut nimirum te omni vitio carere censeamus, cujus vita & mores longè alia nobis pollicentur? At verò Mævius ipsi respondet, si ab alijs mihi ignotum non sit, neq; ulla venia indulta; egomet mihi ipsi ignosco, & si quid pecco veniam largior, nullâ aliorum curâ habitâ. Sanè hic amor sui, quo aliorum vitia reprehendimus, nostris veniam damus, est stultus pariter & improbus, & dignus qui notetur & reprehendatur. Age enim cum tua mala, tua peccata & vitia, tanquam lippus oculis viciosis, & aliquo collyrio oblitis & perunctis, hebeti visu pervideas, cur in amicorum tuorum vicijs perspiciendis tam acutùm, tam pertinaciter & perspicaciter cernis, quam aut aquila, cujus visus acutissimus immota oculorum acie solem intuetur, & quæ nubibus vicina, quæ in terra geruntur exactissimè prospicit; aut serpens, ac draco in Epidauro, Peloponnesi urbe longe perspicacissimus? At contra tibi evenit ut dum tu tanta dicendi libertate in aliorum vitam & mores inquiris, ut illi quos tu reprehendisti alij rursus vitia tuã inquirant, & vicissim tua peccata castigent & reprehendant. Atq; ita

dum alios reprehendimus, cum nos vitio non careamus alijs nos vicißim reprehendi materiam suppeditamus. Quanto autem satius esset, aliorum vitia æquo animo ferre, & quâ potest bonitate & benignitate excusare, ut idem vicißim ab alijs exspectaremus? Age enim sit amicorum nostrorum quispiam iracundior, & ad iram commotionemq; animi pronior; sit etjam propter simplicitatem horum qui nunc vivunt hominum acutis naribus, urbanitati, atq; irrisioni (qui aliorum vitia sagacißimè oderantur) minus aptus & idoneus, rideri etjam fortasse posset, quod rusticius detonsus, ejusq; capilli inæqualiter decurtati sint; quod toga non aptè composita in unum latus defluit, quod calceus nimis laxus in pede malè ipsi hæreat: hæc, ut dixi, ab acutis illis irrisoribus rideri fortasse possent. At contra æstimandum, quod sit vir bonus adeo ut alius quisquam melior vir non inveniatur, at æstimandum quod tibi amicus sit, quod sub hoc inculto & subrustico corpore ingens ingenij vis & excellentia latet, & propterea ipsi parcamus; & ita non vitia solum aliorum sed virtutes etjam intueamur, & æquiores aliorum judices erimus. Denique tuum ipsius pectus tanquam ollam & vas fictile pulsando concute & explora, ecquid solidùm crepet, nunquid omnia candida & sincera sint, & num aliqua vitiorum tibi quoq; olim ipsa natura aut etjam mala consuetudo & conversatio cum pravis inseverit & inplantaverit, cum te neglexeris, animumq; tuum honestâ disciplinâ non informaveris. Namque quemadmodum filix herba mala ac inutilis & igne comburenda in agris incultis & neglectis innascitur, quæ ubi semel aliquanto altius radces egit, non facile rursus exstirpatur: ita etjam in animis nullâ honestâ disciplinâ excultis, vitia innascuntur, quæ actis radicibus haud promptè denuò inde revelluntur. Illuc de quo superiùs dixi, prævertamur, illudq; priori loco explicemus, quod amicorum vitia collatione eorundem virtutum humano affectu, & benivolentiâ excusanda esse admonui; Nos prius eò vertamus, quòd velut turpia vitia nævi & maculæ amicæ amatorem amore cæcum latent & decipiunt, ut illa non animadvertat, haut quod etjam hæc ipsa vitia amatorem sæpe juvant & delectant, veluti Agnæ meretricis polypus fœdum & immundum in naribus vitium Balbinum amatorem delectat: Vellem ego & optarem ut sic in amicitiâ etjam erraremus, & amicorum nostrorum vitia aut non videremus, aut illis delectaremur; atq; utinam isti errori honestum aliquod nomen amicorum vitijs celandis accommodatum, à virtute aliquâ, humanitate,

benivo-

benivolentiâ, aut æquanimitate ductũ esset impositum. *Atqui saltem in bonam partem aliorum vitia interpretemur, si illa laudare noluerimus, parentum exemplo, qui liberos quantumvis deformes nihilominus amant.* Nam *quemadmodum* pater *sui gnati vitium* non *fastidit*, sic *&* nos *si quod* amici *vitium sit*, *non* debemus fastidire, *& propter vitium amicitiam negligere & contemnere.* Pater *enim* si quod vitium *in filio animadvertit, illud honestiori appellatione extenuat, & filium* strabonẽ, *& luscum oculis distortis & perversis*, pætum appellat, *quo nomine ipsam Venerem solemus appellare*; & si cui *patri* malè parvus filius, *& omninò nanus & Pygmæus sit*, (quemadmodum olim fuit M. *Antonij Triumviri filius brevissimæ staturæ, & tanquam* abortivus *à naturâ abjectus & non absolutus, qui ob ingenij calliditatem* Sisyphus *dictus fuit*) *illum delitioso nomine* pullum, *pulmilionem aut pusionem vocat*. Hunc *qui* cruribus *introrsum* distortis *ambulat* varum *appellat, tanquam ex nobilissimâ Varorum familiâ sit oriundus*: illum *qui* talis pravis *introrsum inversis & tortuosis* malè fultus, *& non rectè sustentatus est, illum* balbutiendo *infanti adblandiens* scaurum vocitat, *tanquam qui è Scaurorum nobili familiâ genus suum deducat: Hosce parentum affectus in colendâ amicitiâ imitemur, & amicorum vitia leviori appellatione extenuando excusemus.* Hic *amicus* parciùs *& sordidiùs* vivit, *quare non avarus sed* frugi dicatur, hic *alter* ineptus *magna de se loquens, seq; ostentans* & paulo jactantior est, *ille* postulat ut amicis *suis suavis* concinnus *& jucundus* videatur: at *si* est truculentior, *nimis severus & imperiosus*, & plus æquo liber *in alijs reprehendẽdis & in veritate dicendâ; ille* simplex & *apertus*, fortis *magniq; animi* habeatur, *qui omnia dicat & faciat, quæ justa esse censeat; quod si* calidior *& iracundior* est, inter acres *fortes & vehementos leviori appellatione* numeretur. Hæc res, *hæc æquanimitas, ut* opinor, & *amicos conjungit*, & amicos *in amicitiâ con*servat, *adeoq; ipsius amicitiæ causa est efficiens & conservans.* At *verò tantum abest, ut in hâc hominum malitiâ amicorum vitia, honestiori nomine extenuemus, ut contra illa quæ in amicis laudanda sunt, vitiorum nominibus calumniantes inquinemus*, ipsasq; virtutes *in pejus ac vitium* invertere, atque vas *quod suâpte naturâ* sincerum *& purum est*, illud *per malitiam* cupimus incrustare, *& impuro tectorio fæcis ac sordium obducere & deformare. Si* quis *vir* probus, *& sinceri animi* nobiscum vivit, *ille nobis per calumniam* homo *nimis* demissus *ac dejectus* nomina-

minatur, *ille qui tardus est, inq; rebus despiciendis non adeo acutus*, illi damus cognomen pinguis, *lardi, hebetis, & stupidi.* Hic *alius quisquam cautus & circumspectus est*, omnesq; insidias fugit, *suumq;* latus nulli malo aperit, *nulli calumniæ* obdit & *opponit, neq; invidis hostibus suis obtrectandi causam præbet*, (cum inter hoc vitæ & *hominum* genus *in aulâ* versetur, ubi acris invidia, atque ubi crimina, *odia & obtrectationes* vigent & *dominantur*) *illum* pro bene sano, ac *prudenti, pro circumspecto* & non incauto appellamus fictum, *simulatorem, callidum, versutum, subdolum, nimis*que astutum. Si quis *contra sit* simplicior, *apertus, omnisq; doli ac fuci expers* (qualem, ô Mæcenas, me sæpe libenter tibi obtulerim, *ut simplex potius, quam fictus & versutus videar*) ut fortè *amicum suum aliquid* legentem aut tacitum & *cogitabundum serijsq; rebus intentum* quovis sermone *sine observatione temporis importunus* & molestus appellet & *interpellet*: *tunc* inquimus: *ille homo* planè communi sensu caret, *qui amicum suum tantâ importunitate serijs rebus intentum nugis suis interturbet.* Eheu, quàm temerè, *quàm iniquè* legem & *consuetudinem calumniandi* iniquam in nosmet ipsos sancimus, *dum alios reprehendimus, & ab alijs vicissim reprehendimur: cum satius esset alijs ignoscere, ut illi vicissim nobis ignoscerent. Quippe alij semper habent, quod in nos retorqueant.* Nam nemo nascitur sine vitijs, *neq; ullus mortalium inventus, qui omnis peccati & labis expers viveret*: Ille *autem homo longè* optimus est, qui minimis *vitijs* urgetur & *laborat, cujus notæ paucissimos invenias. Æquissimum igitur censeo ut non solum vitia, sed virtutes hominum etjam intuentes collatione factâ odio an amore digni sint demum dijudicemus.* Amicus *igitur* dulcis & *benignus*, velut æquum est, *ubi* mea bona cum vitijs *measq; virtutes cum illis, quæ reprehendenda sunt, ex æquo unà* compenset, *trutinet ac ponderet*, hisce pluribus *in me bonis ac virtutibus* (si modo plura bona mihi sunt, *quàm mala & vitia*) *me diligat, & ob plures in me virtutes, quàm vitia ad me animo dedito & propenso* inclinet, si *modo vicissim à me* amari volet. Hâc *enim eâdem* lege in eâdem *benivolentiæ & æquanimitatis* trutinâ *à me* ponetur, *eandemq; humanitatis conditionem erga ipsum adhibebo. Quidni enim illud faciat cum fieri possit ut gravioribus laboret, quàm forte ego vitijs?* Qui *enim* postulat ne proprijs *suis* tuberibus, & *grandioribus vitijs* amicum offendat, & *cupit graviora vitia sibi ignosci, illi et-*

ille etjam verrucis *& exiguis peccatis alterius amici* ignoscat. Æquum *enim* est *illum, qui* peccatis *suis* veniam poscit, *ipsum etjam alijs, qui in ipsum deliquerunt,* rursus *veniam* reddere. Denique quatenus *humana vita erroribus carere non potest, &* vitium iræ, *libidinis, avaritiæ, &* cetera *pravorum affectuum,* quæ stultis *hominibus* adhærent, *ex hominum animis* penitus excidi, *& exstirpari* nequeunt; *cur tantâ acerbitate nostra vitia in alijs reprehendimus? cur illa in alijs turpia castigamus, quibus ne ipsi quidem careamus? cur omnia peccata sine discrimine ijsdem pœnis gravißimis è medio tollenda existimamus? &* cur non *ipsa* ratio *& prudentia* suis ponderibus ac modulis utitur, *& æquo rationis moderamine omnia peccata ponderat & metitur, graviane an levia, magna an parva sint,* & ut res quæque, *in quâ peccatur parva vel magna* est, ita *etjam* delicta *in illa re parvis vel magnis pœnis vel* supplicijs coërcet. O *singularem hominum improbitatem & malitiam?* si quis eum servum qui *vas escarium aut* patinam *aliquam è mensâ* tollere, *& alio deferre* iussus, *interea* pisceis *in patinâ à domino & convivis* semesos, tepidumque *jusculum* abligurierit *& consumpserit* in cruce suffiigat, *& ob leve peccatum truculentißimâ morte afficiat, ille merito* M. *Antistio* Labeone *Jurisconsulto contumaci ac importuno furiosior &* insanior dicatur. Quanto *autem* hoc furiosius, & *quanto hoc* peccatum majus est, *quod tu admittis, ô Stoice?* Amicus *tuus* paullùm deliquit, *& levi admodum peccato te offendit* (quod nisi concedas, *& levi amicorum vitio veniam indulgeas, nimium* insuavis, acerbus *& truculentus tuo merito* habearis) *tu propterea ipsum* odisti, *ipsumque* fugis *& evitas,* ut *hominem infestum & exosum, ut* debitor æris *in fœnus sumpti* Drusonem *fœneratorem, & ineptum historiographum evitat.* Qui *debitor,* cum tristes *ac ingratæ* Kalendæ *cujusq; mensis, quibus fœnus exigitur,* misero *debitori jam venerunt, nisi* mercedem *usuræ,* nummos *sortis & capitalis summæ,* unde unde *potest* extricat, *expedit & corradit,* audit *Drusonem recitantem indoctè scriptas, & ob id ingratas &* amaras historias, *idq;* porrecto jugulo, ut captivus *& jam jugulandus, cum omni morte acerbior sit hujusmodi ingratæ rei auscultatio. Vt verò ad institutum revertar, si ob leve peccatum amicum repudiare debemus, quid agemus in majoribus? si propter exigua errata per imprudentiam commissa, gravi supplicio afficiendus est amicus, quodnam peccatis gravißimis supplicium amplius restabit? Amicus meus ebrius ac* potus lectum

E com-

comminxit, *vel* catillum, *exiguum escarium vas, quo* Evander *antiquissimus Aboriginum rex, Pallantis Arcadiæ regis nepos, aliquando usus est, illumq;* manibus *suis* attrivit, *per imprudentiam* è mensâ dejecit, *& in pavimento fregit, aut* ob hanc rem *quod* esuriens *cibum delicatiorem* aut pullum in parte Catini ante me positum, *incivilius* sustulit *& comedit: anne* hoc *ipso* minus jucundus *& gratus* amicus mihi sit *aut esse debeat? Illud quidem extremæ esset dementiæ. Quod si ob leve peccatum tam graviter puniendus est,* quid faciam *in gravioribus,* si furtum fecerit, si *arcana, quæ* fidei *ejus* commissa *fuerunt, temerè effutierit* aut prodiderit, aut sponsum *aliquid & promissum à se inficiando* negarit. *Profectò Stoici,* quibus placuit *omnia* ferè peccata *inter se* paria *& æqualia* esse, *& eodem supplicio omnia punienda,* laborant *& deficiunt inq; summâ difficultate versantur & succumbunt,* cum ad veritatem *& probationem* ventum est. *Nam communis hominum* sensus & mores, *magnopere* repugnant *& reclamitant,* & ipsa utilitas *quæ* prope *una & sola* mater *est* justi & æqui, *omnisq; juris ac legum. Non enim utile in rebus humanis omnia peccata æqualiter puniri, ita enim haud dubiè omnes homines æqualiter puniendi essemus. Quomodo autem ex utilitate jura ac leges paullatim prodierint facile ostendam.* Nam cum *mundi initiò* animalia è primis terris *sensim in lucem* prorepserunt, *tunc homo utilitatis ignarus & brutalis,* mutum & turpe pecus, *& inter se loqui nescium nudum & obscœnum, propter suas divitias, propter* glandem *fraga, pyra, aliosq; arborum & herbarum fructus, &* propter *antra* atque cubilia *manibus, dentibus,* unguibus & pugnis, deinde fustibus *ac baculis,* atque ita porro *ferreis* armis pugnabant, quæ usus *& utilitas* postea *invenerat &* fabricaverat, donec invenerunt verba & nomina, quibus voces & sensus *animiq; cogitationes* notarent *& exprimerent.* Dehinc ceperunt à bello *cædibusq; & victu fœdo* absistere, *urbes &* oppida munire, *politias instruere,* & leges *condere ac* ponere, ne quis fur esset, neve latro, *neve homicida,* nec adulter. Nam *non prima Helena* fuit *adultera, neq; omnium prima à Paride rapta. Quia* ante Helenam *sæpius* cunnus teterrima *& deterrima* belli causa *fuit, quod Io rapta à Phœnicibus, Europa ablata à Cretensibus, Medea asportata à Græcis satis superq; attestantur.* Sed illi mortibus ignotis *pleriq;* perierunt, *eò quod historicorum monumentis nemo illos celebrâsset,* quos *brutorum & ferarum* more Venerem incer-

tam

tam & communem violenter rapientes, ut taurus in grege ac armento robustior alios cornibus incursat & fugat; sic viribus altior, editior ac valentior, alios cædebat & pulsabat, sibiq; imperium usurpabat. Profectò necesse est ut fatearis leges ac jura, propter eximiam utilitatem injusti metu inventa esse, si mundi tempora & ætates, & chronica atq; annales penitius aliquanto inspicere velis atq; evolvere. Nam justa & injusta à naturâ non sunt quemadmodum bona & mala, neq; ipsa natura ita justum ab injusto, & iniquum ab æquo discernere potest, ut dividit bona à diversis quæ mala sunt, & fugienda à petendis; nec profectò unquam ratio hæc evincet & probabit, ut tantundem peccet, idemque peccatum admittat, qui teneros caules olerum alieni horti fregerit, & leve furtum commiserit, & qui nocturno tempore vel ius sacris manus admolitus sit, & divûm sacra legerit & compilarit. Quocirca cum peccata æqualia non sint adsit aliqua justarum legum certa norma & regula quæ pœnas ipsis peccatis æquales justo moderamine irroget & imponat; ne illum qui leve peccatum admiserit magno supplicio afficias & qui scuticâ aut loro cædi dignus sit, illum horribili flagello insecteris. Nam non contrà vereor, ut leviori pœnâ, quàm par est, aliquem afficias, nec metuo, ut levi ferulâ aliquem cædas, qui meritus sit majora verbera corpore suo subire; cum dicas ipsa furta pares & æquales res esse, cum latrocinijs, & mineris te parva peccata cum magnis simili falce & unâ ac eâdem pœnâ velle excidere & punire, si modò homines tibi regnum gubernandum permittant & concedant. At heus tu, o Stoice, si illud verum est, quod tanto verborum ambitu affirmitatis, quod qui Stoicus est, hoc est sapiens etiam est dives, est liber, est omnium operum artifex, est bonus sutor, est solus formosus solusque rex & imperator inter mortales; cur iam aliud optas quod habes? Cum enim sapiens sis, rex es, regnumq; habes, & subditos, in quibus justitiæ tuæ rigorem exercére possis. Sed nimirum hic Stoicus respondet & inquit: ò Horati non nosti quidnam Chrysippus ille humanæ sapientiæ pater, & eximius virtutis magister dicat: Vir sapiens nunquam sibi crepidas aut soleas aliave calciamenta fecit, & tamen vir sapiens est bonus sutor. At, ô Stoice, quomodo hoc esse potest? Nimirum potentiâ sutor est, non actu, ut quamvis M. Hermogenes Tigellius tacet, & non canit, tamen canendi habitu præditus est, & optimus est cantor & modulator, & velut vaer & callidus ICtus Alphænus, omni

 instru-

instumento artis sutoriæ abjecto & tabernâ, in quâ artem illam exercuerat, clausâ, cum postea Iuri Civili operam daret, tamen sutor adhuc erat: sic etjam quicunq; sapiens est, est optimus artifex, omnis operis, omniumq; artium & scientiarum, unus & solus possessor. Homo vanißime, nimirum tu talis rex es, ut lascivi Epicureorum pueri te tanquam stolidum sibi irridendum invicem propinent, magnâq; petulantiâ barbam contumeliosè tibi vellant. Nimirum quos pueros nisi fuste & baculo tuo, quo tanquam sceptro regio uteris, coërces & à te abigis, à turbâ hominum, circum te tanquam fatuum insanum & mente captum, stante vrgeris & illuderis & iracundiâ vel dolore miser rumperis, præq; indignatione canis instar latras & magnâ voce exclamas; ô magnorum regum maxime Iupiter, cur non perdis hanc puerorum petulantiam? Deniq; ne longum faciam & multa ad pauca redigam, dum tu tanquam Stoicus sapiens & rex ad balneum pro quadrante vilißimo pretio lavatum ibis, neque te tantum regem stipator aut satelles alius quisquam præter lippum & ineptum Crispinum Stoicum & Poëtam vanum sectabitur, & dum contra vestra Stoicorum placita, omnia peccata æqualia non sunt, neq; omnia eodem modo punienda, multa etjam condonanda, dumq; dulces mei amici mihi ignoscent, si quid tanquam stultus per imprudentiam peccavero: Tum invicem libenter & æquo animo illorum delicta patiar, & vicißim si quid illi peccaverint non indignabor, tuumq;, ô Stoice regnum tibi non invideo, egoq; homo privatus existens magis felix & beatus vivam te tanto rege, & imperatore.

SATYRA IV.

EVpolis, & Cratinus, ac Aristophanes, & reliqui Comœdiæ veteris scriptores egregij fuerunt in castigandis hominum vitijs, idq; magnâ vehementiâ & dexteritate faciebant. Si quis enim in Repub. Atheniensi vitam suam per flagitia turpiter agebat, & dignus erat, qui in Comœdiâ describeretur, & notaretur, quod malus & nullius bonæ frugis, aut quod fur esset, quod mæchus & matronarum insanus sectator foret, aut sicarius, subdolusq; percussor, aut alioquin propter vitam per scelera actam malè audiens & famosus; hunc maximâ cum dicendi libertate in Comœdijs suis describebant & notabant. Ab hâc priscâ Comœdiâ, ejusq; scriptoribus, eorumq; exemplo & imi-

& imitatione Lucilius *Bassus eximius Satyricus*, omnis *ac totus quantus quantus est*, dependet. *Nempe, qui* hosce *Comœdiæ veteris scriptores* secutus *& imitatus*, mutatis tantum pedibus & numeris, *ut cum illi puris Iambis scripserint, hic* Hexametris *versibus Poëma suum absolveret*. Poeta facetus, *inq; alijs irridendis & castigandis satis salsus & ingeniosus, adeoq;* emunctæ *& acutæ* naris, *ut in odorandis hominum vitijs, illisq; summâ cum dexteritate notandis sagacior nemo facilè inveniretur. In componendis autem versibus* durus *& asper erat, ut qui nullo studio & labore* versus *suos* efformaret. Nam hoc *ipso* vitiosus *& reprehendendus* erat, *quod duros versus componeret, eosq; temerè ac sine ratione profunderet. Brevißimo enim temporis spatio multos versus condebat, &* sæpe in *unâ* horâ, *&* in uno pede stans ducentos versus, *velut* magnum *quiddam illud esset, & singulare ingenij decus, amanuensi suo* dictabat. *Porro* cum *adeo multa inordinatè & confusè scriberet, & instar præcipitis fluvij cœnum ac sordes secum trahentis* flueret, *& invenustos atq; incultos versus profunderet, tamen in illis* erat *aliquid & occurrebat*, quod *inde* tolleres *& probares. Alias* garrulus, *superstuus in plerisq; & ineptus erat* atque piger in ferendo labore scribendi; recte *dico* scribendi. nam ut multum *scripserit, multosq; libros carminibus suis implerit, illud* non moror, *& pro illo, liberè dicam, ne manum quidem verterim, cum non statim illud, quod multum est bonum sit, sed contra, quod bonum, multum. Non desunt autem, qui hoc ipso magnopere sibi placeant, aliosq; præ se contemnant. Ecce enim* Crispinus provocat me *vel* minimo *digito. quo sese tantum valere indicat, quantum ego toto corpore, & inquit:* O *Horati* accipe tabulas *ceratas, & ego tabulas accipiam;* detur nobis locus *opportunus, constituatur etjam tempus &* hora *conveniens, quin etjam* custodes *& observatores adhibeantur, qui nos observent ne quid suffuremur, aut alienâ operâ utamur, & ita* videamus uter *nostrum, ego, an tu*, plus posit scribere. *Maximas* Dis *habeo gratias, qui* bene *& optime* fecerunt, *quod* me *Horatium* inopis, *& curtæ suppellectilis, &* pusilli animi *hominem* finxerunt, *qui* rara & perpauca *tantum* loqui posit, *illa autem magna & sublimia alijs lubens relinquat*. At *interea tu ô Crispine inani tuâ ventositate, ut tibi collibitum fuit, aut ut mâvis utere, &* auras follibus *fabrorum ferrariorum* ex hircino *corio factis* conclusas, *suoq; ingressu & exitu* usque laborantes dum ignis *vehementiam excitant, qui* ferrum molliat, imitare, *nihil tibi invideo*,

 aut

aut contradico. Nimirum alij Poëtæ eximij felices & fortunati sunt, ego solus vilis & contemptus. Inter alios Faunius *nimirum felix &* beatus *est, utpote cui senatus & populus Romanus non petenti, sed sponte ac ultrò* capsas, *quibus libri ejus in Camœnarum æde condiri perpetuò conservarentur*, & imaginem *in æde Apollinis & Musarum una cum reliquis Poëtis collocanda*, detulit: cum *contra* nemo *sit, qui meos versus*, mea scripta *& carmina* legat *aut magnopere curet, quippe, qui mea carmina measq; satyras, quibus aliorum mores pravi carpuntur*, vulgo recitare timeam; ob hanc rem, quod *illæ vulgo ingratæ* sint, *& quod sunt homines pravi, avari, ambitiosi, libidinosi, adulteri, impij & scelerati*, quos hoc *meum scribendi* genus minimè juvat, utpote *cum secundum sapientis illud, in genere mortalium* plures *malos &* dignos, *qui* culpentur, *semper invenire liceat. Atq; adeo ex* mediâ *confertissimâ hominum* turbâ quemvis *tibi elige aut* erue, *invenies ipsum reprehensione dignum, utpote qui* aut ob avaritiam *malum insanabile*, aut ambitione miserâ *ac sollicitâ* laborat: hic amoribus nuptarum *& matronarum furiosus est tanquam adulter*, hic *alter* puerorum *pathicorum, & Cinædorum desiderio* insanit. Hunc argenteorum *vasorum* splendor captum tenet: *alter quidam* Albius *vasculis ex* ære *Corinthio in* stuporem datur, *eaq; supra modum amat demiratur*: hic *lucri studio intentus navigat, & emit, vendit, negociatur, &* merces *suas* permutat *in omnibus mundi partibus*, à surgente Sole *Indiæ orientalis, usq;* ad eum *solem*, quo vespertina regio *& occidentalis mundi plaga* tepet *& calore illustratur*: quin *etjam* per *molestias, labores, dolores, vitæq;* discrimina præcipiti *cursu* fertur, *veluti* pulvis *venti commotione &* turbine *concitatus atq;* collectus, metuens ne quid *de* summâ *divitiarum collectâ* deperdat, *ne quid de acervo constructo deruat, deq; opibus quæsitis & congestis in res ad victum & cultum necessarias diminuat, sed* ut *divitiarum suarum summam augeat*, aut rem *familiarẽ* ampliet. Hi, *quos dixi*, omnes versus *ac* Poëtas *Satyricos talia reprehendentes & mordaces* metuunt *&* oderunt. *Nempe qui aliquo Poëta Satyrico conspecto, & obviam facto continuò exclamant fugiamus hunc mordacem canem: hic homo tanquam bos cornupeta* fænum in cornu *appensum* habet, *in signum ut homines ab illo sibi caveant: nimirum qui homo maledicus & petulans, summâ petulantiâ alios incursat; Quare* longe fuge *& hunc divita; qui adeo ridiculorum dictorum cupidus est, adeoq; alios risui exponere delectatur, ut*

tur, ut dummodo *aliquid ſalsè in alium dicat, & tanquam cachinno ſplene petulanti* riſum ſibi excutiat, non *vel* amico cuiquam parcere velit; & quodcunque *ſalsè ac ridiculè in alium ſcripſerit*, & chartis illeverit, *omnibus recitare volet*, omnesque à furno *ubi panis coquitur*, & lacu *ubi aqua hauritur*, & pueros & anus, *& maximam hominum copiam, quæ ibi ſemper convenit*, ſcire *& audire* geſtiet, *ac ſummopere deſiderabit*. Agedum *quicunq; es, qui hæc tantâ vehementiâ mihi obijcis*, contra pauca *à me* accipe, *meq; viciſſim tibi reſpondentem audi*. Primum *atq; initiò* ego *Poëtam me eſſe nego*, meq; *ex* illorum numero quibus Poëtas eſſe dederim, *Poëtarumq; nomen conceſſerim, me* excerpam *atq; excipiam*. Neque enim verſum *aliquem ſuis certis menſuris, numeris, ac pedibus* concludere, *ad Poëtæ nomen conſequendum* ſatis eſſe dixeris, nec ſi quis ſcribat uti nos *ſcribimus quotidiano* ſermoni propiora, *& ſolutæ orationi quàm verſibus ſimiliora, & vulgari tantum ac plebeo dicendi genere, qualem in quotidiano ſermone uſurpamus, utatur*, hunc Poëtam *ac Poëtæ nomine dignum* eſſe putes. *Ille* qui *naturâ valet*, mentisq; *viribus quaſi* divino *ſpiritu excitatus afflatur*, cuiq; ingenium ſit *rebus inveniendis accommodatum*, atque os magna ſonaturum, *quodq; inventioni aptè & commodè reſpondere poſſidere poſſit, illi* hujus nominis honorem, *ut Poëta dicatur* des *& concedas*. Idcirco *non defuerunt* quidam *Grammatici, qui* quæſiverunt *& diſputârunt, anne* Comœdia, *ex quâ hæ Satyræ noſtræ initiò natæ ſunt*, Poëma eſſet, nec ne, *Eò quod Comicorum Senarij propter ſimilitudinem quotidiani ſermonis adeò ſæpè abjecti ſint, ut in his non nunquam verſus ac numerus vix intelligi poſſit*, quodq; acer ac *vehemens* ſpiritus vis *& concitatio* neque *in* rebus, *quæ ex quotidiano ſermonem tantum imitantur*, nec *in* rebus, *quæ ex quotidianâ vitâ deſumtæ ſunt*, ineſt, niſi quod ſermo merus, *aut ſoluta oratio à* ſermone *Poëtico & oratione ligatâ*, certis pedibus, *& numeris menſurisq;* differt *ac diſtat*. At *dicat hic aliquis etjam interdum ipſam comœdiam verbis ſententijs, ac affectibus intumeſcere ac inſurgere, ut cum* pater *Demea apud Terentium, aut Theuropides apud Plautum immensâ iracundiæ vehementiâ* ardens ſævit, quod nepos filius *luxurioſus & prodigus amore* meretricis, *quàm* amicæ *loco habet*, inſanus exiſtens uxorem cum grandi dote *ducere* recuſat, *& ex juvenili affectu in vagis libidinibus turpiter, quàm honeſtè in matrimonio vivere mâlit, & quod idem in ſacris Bacchi diurno tempore*

pore ante noctem cum *lampade & facibus*, quod magnum dedecus, *turpitudo, & infamia est*, ambulet & *discurrat. Quod proinde ipsi etjam Comœdiæ acer vis ac spiritus non desit. Atqui heus tu, qui hæc mihi obijcis, nonne eodem modo in quotidianâ vitæ consuetudine patres filios suos eâdem affectuum vehementiâ objurgare solent?* & nuncquid Pomponius *dissolutus ille nepos* leviora *verba aut mitiores objurgationes* audiret, si pater *ejus* viveret? Non igitur satis est versum perscribere, quem *versum* si *ordine verborum commutato, numerisq; dissolutis* dissolvas, & *eadem verba retineas, tunc restet sermo quotidiano sermoni similis, & ijsdem verbis*, eodemque pacto quivis *pater in quotidiano sermone* stomachetur, *filiumq; suum objurget*, quo personatus *aliquis* pater *in Comœdiâ. Quod de Comœdiâ dixi, idem de Lucilij, meisq; Satyris ex Comœdiâ natis intellige. Nam* si hisce, quæ ego nunc *scribo*, & *illis* quæ olim scripsit Lucilius tempora certa, *pedesq; certos, sillabarum quantitates, modulationem & mensuram definitam, & certa carminum genera* modosque eripias, & *verborum ordine inverso, prout prosaicus sermo postulat, illud* verbum posterius facias, quod prius ordine *primum erat; contra illa, quæ in versu* ultima *fuerunt*, primis præponens: *si ita inquam nostra resolveris, inq; prosam converteris, tunc post resolutionem nulla* Poëtæ *vestigia relinquentur, nec* membra *atq; partes Poëtam in prosam dissolutum &* disjectum *repræsentantes* invenies, *aut dissoluti ac lacerati Poëtæ notas superstites deprehendes, quibus possis cognoscere, Poëtæ verba illa esse*, ut *contra invenire poteris si Ennij Poetæ versus, Poeticæ grandiloquentiæ majestatis & gravitatis plenissimas, in prosam convertas & resolvas, quales versus illi sunt de templo Iani per bella civilia & discordiam rursum aperto, cum ante pacis tempore clausum fuisset:*

Postquam discordia tetra
Belli ferratos postes, portasque refregit.

Quem versum si ordine verborum turbato per prosam ita legas, postquam ferratos belli postes, & portas tetra discordia refregit: facile quivis animadvertat sermonem Poeticum esse, & minimè vulgarem. Hactenus hæc *de Comœdiâ & Satyris dicta sufficiant: Alio tempore & loco, & aliàs inquiram* justumne Poema sit, nec ne. Nunc illud tantum quæram, *ó Romane*, meritone *ac jure Satyras oderis*, & hoc scribendi genus tibi suspectum sit, *cum non Satyram sed vitia tua odisse deberes. Certè quibus si obnoxius non inveniaris, non est quod Satyricorum*

morsus

morsus magnopere reformides. Malis enim illi formidinem incutiunt, non viris bonis & honestis. Sulcius *enim ille* acer & Caprius *ille vehemens accusator & vitiorum inquisitor per plateas* ambulat. *Qui tantâ voce vitiosos homines increpant & reprehendunt,* cumque libellis *accusatorijs, in quibus maleficiorum nomina & crimina perscripta habent, incedunt, ut* malè *ac valdè* rauci *sint:* uterque *certè* magnus timor, *formidabilis, & terribilis est, at non viris bonis, sed* latronibus *tantum, & sicarijs.* At *verò* si quis benè vivat, & manibus puris, *nullâq; cæde commaculatis ille* utrumque *accusatorem nihil curet, sed* contemnat. *Et tamen* ut *vel maximè multi sceleratißimè vivant, & quamvis* tu *vitâ per scelera actâ* similis sis Cæli & Byrrhi latronum *& sicariorum, si tamen* ego *acerrimus accusator* non sim, *neq;* Capri ac Sulci *similis, sed hominum vitia jocosis tantum versibus leviter noto; estne aliquid causæ,* cur me *aut mea carmina* suspecta habeas? *Et tamen si vel maximè acerrimus vitiorum castigator essem, si tamen versus mei non publicentur, immeritò sanè de illorum acerbitate conquereris. Nam* nulla taberna *aut officina liberaria,* neque *ulla etjam* pila *aut columna, ad quam libri venales appendantur,* meos libellos habeat, *quibus evolvendis, & atterendis* vulgi & Hermogenis Tigellij, *ejusq; comitum vitiosißimorum hominum* manus insudet. *Tantum abest ut carmina mea in manus vulgi pervenire sinam, ut illa* cuiquam non recitem, nisi amicis *& familiaribus,* idque *invitus facio &* coactus: non *ut alij,* ubivis *locorum* aut coram quibuslibet *hominibus præsentibus carmina mea recito.* Multi *contra* sunt, qui *etjam* in medio foro, aut qui lavantes *in balneo* (locus *enim testudine undiq; conclusus, ut balnea sunt, ipsi* voci suaviter resonat, *& undiq; repercutitur)* scripta *sua carmina* recitent. *Vanos ac* inanes *Poëtas* hoc juvat, *qui vanam populi auram captant, & à vulgo digitis monstrari cupiunt,* haud *viros graves & præstantes, qui* illud quærant *& considerent,* num *illud fiat stultè* sine sensu *& judicio,* num *illud* faciunt *importunè &* alieno tempore. *At dicit mihi adversarius quispiam: &* inquit: *quicquid etjam dicas, ô Horati, & ad tui excusationem in medium proferas, tu* gaudes lædere *alios, & calumnijs tuis proscindere delectaris,* & hoc pravus *ac malitiosus existens* facis, studio, *deditâ operâ & de industriâ. At heus, tu quicunq;* hæc *mihi objecias,* unde petitum *habes illud crimen, cujus reum me peragis, & quod* in me conijcis? *&* quis denique eorum cum quibus vixi *hujus*

nistri rumoris de me auctor est, qui verè potuerit dicere, me calumnijs & obtrectationibus delectari? Non Satyrici, qualis ego sum, alijq; ante me fuerunt, sed calumniatores malefici, qualis forte tu ipse es, qui mihi hæc objectas, longè fugiendi & evitandi sunt: ille nempe qui (quod nefarium ac sceleratum est) absentem amicum ejusq; famam arrodit & obscurè lædit; qui alio amicum absentem culpante non candidè excusat & defendit; qui alios calumniando effusos ac solutos risus scurrarum more captat, & in alijs movere studet, & nomen famamque hominis dicacis jocis mordacibus appetit, qui potest illa fingere ac mentiri, quæ neque visa neq; audita sunt, & qui nequit illa tacere & silentio recondere, quæ sub silentij arcano ipsi commissa & concredita sunt: hic malus & niger est, hunc tu, ô civis Romane, longè fugito & caveto, hic fœnum in cornu habet te ipsum debes evitare, non autem me, qui tales cane & angue pejus odi. Atqui quanta illa civium Romanorum iniquitas, qui obtrectatores alios immeritò carpentes tanquam urbanos defendunt & excusant: me contra jure ac meritò ineptos quosdam reprehendentem tanquam malignum & malivolum ferre non possunt. Sæpè enim Romæ videas in triclinio quaternos homines in singulis tribus lectulis, duodecim convivas discumbere & cœnare, è quibus unus aliquis petulans aliorum reprehensor invenitur, qui cunctos quavis ratione & modo potest falsis dictis aspergere & vellicare & contumeliosis maledictis insectari avet & desiderat, præter convivij dominum, & regem, qui aquam in balneo ad lavandos convivas inq; convivijs; calidam & gelidam præbet, & cœnam dat: cui aliquandiu parcit. Postea tamen cum potus atq; ebrius est, & Liber simplex & apertus præcordia, & quæ in illis abdita & latentia recondita fuerunt aperit, & profert: tunc hunc quoque convivij regem eâdem, quâ reliquos, dicacitate arrodit. Hic tantus calumniator, qui tibi (qui si Dîs placet, nigris & vitiosis hominibus infensus & infestus es) comis, facetus, commodus, suavis, urbanus & liber, ut qui liberè dicat, quæ censeat videtur & appellatur. Ego contra si meritò quosdam reprehendi, qui nullâ in re medium servare possunt, quod ineptus Rufillus pastillos, contra quod Gorgonius hircum olet, lividus, malitiosus, mordax, & nefarius obtrectator tibi videor & appellor. Atqui si vicissim accuratiùs aliquanto in tuos mores velim inquirere, fortassis revera obtrectatorem pestilentem & nefarium te invenero, qui simulatâ benivolentiâ amicum, quem culpatum ab alijs defendere deberet, vehementiùs ad-

bus

huc lancinet & dilaceret, & qui dum bonum se simulat, malus existens longè omnium sit pessimus. Etenim si quà in quopiam convivio aut alio conventu fortè mentio injecta est de furto & sacrilegio Petilij Capitolini, qui furti accusatus quod coronam aurcam è Capitolio sustulisset, & in judicio absolutus est, idq́; si fiat coram & præsente te, ibi defendas ipsum sicut tuus tuorumq́; similium pestiferorum hominum mos & consuetudo est, non amicè candidè aut sincerè, sed malignè perfidiosè ac insidiosè, dum initiò insigni benivolentiâ simulatâ, postea livoris aculeum subdis, & hisce verbis uteris: Petilius Capitolinus vetus meus & fidelis amicus jam quidem à multis annis est: quippe qui me convictore & amico usus est inde usq; à puero, & à me rogatus in meam gratiam meâque causâ multa fecit, egoque ex animo lætor quod incolumis, & famâ adhuc & existimatione integrâ in urbe vivat. Sed tamen admiror quo pacto in judicio absolutus sit, illudq́; judicium fugerit, in quo tot probationum & testimoniorum indicijs omnino opprimendus videbatur. Hic est succus ille atræ loliginis piscis, qui ex sepiarum genere externè candidus intùs atramentum habet, velut tu, tuiq; similes fronte amici & candidi occultatum virus pestilens subdolè postmodum depromunt. Hæc est ærugo mera ærisq; vitium unde atramentum factum, quo corium tinctum maculis nunquam postea eluendis imbuitur: quali ærugine tua etjam obtrectator turpissime, lingua imbuta, quæ in aliorum vitam & famam vibices & cicatrices non facile obducendas infligis. Hisce enim tuis verbis Petilius non excusatur, sed enormiùs adhuc accusatur, nimirum quæ & judices fuisse corruptos, & Petilium sacrilegij reum jure non obscurè denotant. Quod subdolum ac nefarium maledicentiæ vitium multis sermone & scriptis usitatum à meis chartis, scriptis & carminibus, & prius à corde & animo meo procul afuturum, si quid aliud verè de me possum promittere, verè promitto. Si fortè aliquid dixero in quempiam liberiùs, si quid etjam fortè jocosiùs, dummodo obtrectandi & lædendi animo illud non fiat, sed monendi & corrigendi: hoc mihi juris, liberè aliquid dicendi aut jocandi unà cum veniâ dabis, illamq́; potestatem mihi indulgebis. Non solum enim ab hujusmodi vitio naturâ abhorreo, sed institutione etjam paternâ ab ineunte ætate & puero ab hoc vitio & nefariâ alios clanculùm lædendi, & non candidè excusandi consuetudine sedulo revocatus fui. Optimus enim pater meus hoc mihi puero quasi insevit & implantàvit, ut quæcunque vitiorum, omniaq; peccata vitarem atq; fu-

gerem, *& inprimis hoc calumniandi vitium*, dum notarem illa *vitia & peccata certis aliorum* exemplis, *juxta illud Comici: periculum ex alijs facito, tibi quod ex usu siet*, cum me hortaretur *ne essem prodigus, neq; essem avarus, sed* ut parcè *ac* frugaliter, atque ut contentus viverem, *illo* quod ipse mihi parâsset, *& patrimonij loco reliquisset: cũ hisce verbis uteretur*: Nonne vides, *ô fili*, ut *luxuriosus ille, & prodigus* Albi filius *ad inopiam jam redactus* malè vivat; utque Barus *ille paternis opibus prodigaliter absumptis* inops *sit; qui profectò* magnum *spécimen &* documentum *alijs esse potest*, ne quis patriam rem perdere velit *atq; profundere. Cum me deterreret & revocare vellet* à turpi amore meretricio, *proponebatq; Sectani exemplum, dicebatq; illius* Sectani, *qui rem & famam perdidit* dissimilis sis: cum *me* deterreret ne *matronas &* mœchas *tanquam adulter* sequerer, cum Venere *legitimâ &* concessâ uti possem, *ajebat*: Trebonij *illius in adulterio à marito* deprehensi fama non bella est, *quam malè mulctatus unà cum numis deperdidit. Vir* sapiens *& philosophus, virtutis & sapientiæ præceptis te instituet*, tibiq; causas reddet, *rationesq; exponet & aperiet, curnam hæc fugienda, illa appetenda sint*, & quid*nam* vitatu & petitu, *quidnam fugisse & appetijsse* melius sit: mihi *tanquam homini rudi & indocto abundè* satis est, si *exemplis aliorum te instruam, &* morem *illum, illamq; consuetudinem quæ* ab antiquis, *meisq; parentibus* tradita *est*, possim servare, *& te* tuamque vitam & famam dum *adhuc tener es, &* custodis eges *paternis admonitionibus à vitijs* incolumem tueri: simulac *maturior* ætas, membra *corporis tui* duriora reddiderit *& corroboraverit*, animumque tuum *in virtute & honestate confirmaverit, tunc* sine cortice *aut subere, quod dici solet*, natabis, *sine alterius regimine vives, & per te sapiens alienis præceptis nihil indigebis.* Sic me puerum dictis *& exemplis aliorum instituebat &* informabat, & sive jubebat, ut aliquid facerem, aliquem ex judicibus *ob singularem virtutem & integritatem in judices* selectis *mihi* objiciebat, *& ob oculos ponebat, dicebatq; ; ô fili* habes auctorem *virum integerrimum*, quo *auctore* hoc, *quod tibi præcipio* facias: sive *etjam aliquid* vetabat, *exemplis aliorum utebatur, inquiens*, anne addubitare possis nũquid hoc factu inhonestum & inutile sit; nec ne, cum hic atque ille *propter illud factũ* rumore malo flagret, *pessimeq; audiat? sic profectò est, aliorum exempla observata vel ad vitia fugienda, vel ad virtutes* ample-

amplectandas, plurimum momenti habent, & velut vicinum aliquod funus ex intemperantiâ obortum alios ægros avidos & intemperantes vehementer perturbat & exanimat, eosque metu mortis cogit sibi cavere & parcere, ne consimili intemperantiâ sibi quoq; mortē contrahant, & contra: sic aliena opprobria, *aliorumq; turpitudines, infamia & flagitia* teneros *adolescentum* animos, *à luxuriâ libidine alijsq;* vitijs sæpe absterrent, *& revocant.* Ex hoc *patre, ejusq; salutaribus præceptis* ego *à teneris informatus,* sanus, *liber, integer, & purus sum à gravioribus* illis *vitijs*, quæ perniciem *& exitium* adferunt, *animosq; hominū penitus corrumpunt: levioribus tantum &* mediocribus vitijs, quibusque ignoscas *& veniam merito indulgeas, ego tantum* detineor; & fortaßis istinc *à levioribus illis quibus obnoxius sum vitijs aliquando liberabor, & unde aliquando* largiter, *magnâq; ex parte olim me* abstulerit, ætas longa *& ingravescens, deinde* amicus liber, *qui candidè & ingenuè errantem admoneat, & deniq;* proprium consilium, *quo vitæ meæ rationes exactè subducam, illaq; mihi eligam, quæ deliberatione probabitâ longè optima videantur.* Neque enim cum *solus sum aut ubi* lectulus *dormiturum,* aut porticus, *aliusve locus solitarius ambulaturum* me excepit mihi desum, *aut illud, quod mei officij est negligo, sed præcepto Pythagoræ salutaribus deliberationibus me ad vitam humanam instruo, & solus hæc mecum animo delibero & cogito:* Hoc *factu longè* rectius est; hoc faciens, *& illud omittens* vivam *longè* melius; Sic *agens & vitam instituens* dulcis, *gratus, & jucundus* amicis *meis* occurram *& apparebo:* hoc *turpe & infame factum* quidam non bellè *agunt:* nunquid ego *tanquam* imprudens *& stultus* illi, *peccato* olim simile faciam, *& in me admittam? Non faciam.* Hæc *& consimilia* ego compreßis labris mecum agito, *animoq; tacitè volvo & meditor.* Vbi quid otij *à gravioribus occupationibus mihi* datur, *tunc cogitationes meas* chartis mando, *&* ludibundus *jocosas Satyras scribo.* Hoc unum est è mediocribus illis vitijs, *quibus detineor, quo nimirum chartas perdo, aliena vitia illis illudēdo, & jocosiùs reprehendendo.* Cui *levißimo vitio* si *tu* nolueris concedere, *& veniam dare, idemq; mecum sentire:* tunc multa Poëtarum manus *& innumera multitudo* veniat, mihique auxilio sit: nam multo plures sumus, *maximusq; hisce annis Poëtarum proventus est, & facilè tibi nostra studia improbanti multitudine nostrâ vim afferemus,* & veluti Iudæi *aliqs ad suam superstitionem propel-*

lunt, te in hanc *nostram Poëtarum* turbam *transire* & concedere, *nostrarumq; partium esse volentem nolentem* cogemus.

SATVRA V.

ITer meum, quod Româ Brundusium usq; Cajum Cilnium Mæcenatem summum amicum & patronum meum officij gratiâ comitatus in me suscepi, & quæ in ipso memorabilia, & relatu digna visa mihi, & audita sunt, perscribere animus mihi est. Cum igitur è magnâ urbe Româ universi mundi dominâ egressus essem, Aritia urbs in viâ Appiâ sita vigesimo lapide à Româ distans, modico & angusto hospitio, si ad Romam magnam conferatur, me excepit; Comes mihi fuit Rhetor Græcorum longè doctissimus & facundissimus Heliodorus. Deinde Appij forum, oppidum itidem in viâ Appiâ situm, nautis, negotiatoribus, & cauponibus perfidis ac malignis undiq; plenum & refertum hospitium mihi præbuit. Hoc iter Româ usq; ad Appij forum nos tanquam ad iter minus expediti, & ignavi divisimus, biduumq; in ipso consumsimus, illudq; duorum dierum iter fecimus, quod viatoribus velocioribus ac validioribus, & altius quam nos ad iter præcinctis & expeditis unum tantum est, uniusq; diei iter. Nimirum via Appia propter ejus amænitatem, crebraq; ejus diversoria mihi meiq; similibus cunctatoribus tardis, & ignavis minùs gravis & molesta, suâq; amænitate viatores facile detinet, & moratur. Hic verò in foro Appij, eo quod aqua ibi erat fœdissima, & deterrima, ventri meo propter aquam, quod illam bibere nollem, bellum ac famem indico, illumq; esurire jubeo; comites meos, qui unà navigaturi erant, cænantes, & moram trahentes gravi, & iniquo animo exspectantes. Iam enim nox ipsis terris suo adventu umbras aspergere, atq; inducere parabat, inque cælo siderum & stellarum signa undiquaq; diffundere incipiebat. Interea pueri ac servi tum à dominis præmissi, ut nautas juberent ad certam ripæ partem navem appellare ipsis nautis, contra nautæ ipsis pueris maledicta & convicia ingerere incipiebant. Cum servi nautas ita inclamarent: Heus tu, ad hanc ripæ partem, huc appelle: Trecentos victores inferis, & in navem recipis plures, quàm navis ferre queat. Ohe jam satis est, desine tandem plures intro mittere. Interea ingens mora nectitur. Nam dum æs exigitur, nosq; singuli naulum solvimus, & mula, ad retinacula quibus navem adversâ aquâ noctis tempore, trahat, alligatur tota hora abit, magnaq; noctis pars

nobis

nobis perit. Noctem porro fermè insomnem in navi agimus. Mali enim culices clangoso suo sonitu, & acuto morsu, & palustres ranæ in viciná Pontiná palude cantu suo odiosè toties repetito somnos à nobis avertunt. Idem facit nauta qui navem regebat, & viator qui mulam gubernabat, dum uterq; multâ vappâ vili insipido, ac evanido vino probe potus, irrigatus & prolutus absentem amicam suam certatim & contentiosè decantat. Tandem viator vigiliâ, cantu, & ebrietate defatigatus dormire incipit, ac nauta piger, qui etjam dormire cuperet idem facit, & retinacula quibus mula navim trahebat, solutâ mulâ, & dimissâ ut pasceretur, ad saxum religat, & supinus jacens stertit, ac securus somnum carpit. Iamque adeo dies aderat, & illuxerat, cum evigilantes sentimus lintrem naviculam nostram retinaculo ad saxum alligatam, immotam stare, nilq; procedere: donec unus è nostro comitatu cerebrosus & iracundus citò surgens è navi prosilit, & saligno fuste, qui in palude copiosè proveniebat, invento nautæ dormientis, & mulæ pascentis caput & lumbos probè dolat pulsat & verberat. Atq; ita nautæ socordiâ ferè tertiam diei partem perdimus, & quartâ post exortum solis horâ vix demum è navi in terram exponimur, inq; oppidum illud pervenimus, ubi Feroniæ Nymphæ Iovis Anxuris conjugis fanum habetur, ibiq; ora & manus lymphâ tuâ, ô Feronia, è fonte propè tuum fanum profluente, haustâ lavimus, ibiq; prandemus. Tum demum ubi pransi fuimus, per tria millia passuum ulteriùs tardè procedimus, & quasi repimus, & demum Tarracinam civitatem, oppidum olim Anxur dictum, in monte saxis & scopulis late candentibus impositum, subimus, ubi Iupiter Anxurus imberbis colitur. Hic commoramur aliquandiu. Quippe huc venturus erat, (velut nobis significaverat) optimus patronus meus Caius Cilnius Mæcenas, atque Lucius Cocceus Nerva Iurisconsultus, uterque ab Augusto legati magnis de rebus missi, ut duorum imperatorum Antoni & Augusti dissidia, & bellorum civilium incendia extinguerent. Quippe qui jam ante soliti fuerunt amicos illos inter se dissidentes & aversos, invicem reconciliare, & componere. Hic igitur dum illos exspecto ego tanquam lippus oculis meis rubris, dolentibus, & continuò lachrymas stillantibus nigra collyria & oculorum medicamenta illinere incepi, quibus oblinendis dum occupatus sum, interea advenit Mæcenas & Coccejus, simulque cum ipsis, Pollio & Fontejus Capito, homo politissimis moribus, perfectissimus, omnibusq; virtutibus absolutus, & tanquã

ad unguem factus, & adeò M. Antoni *amicus*, ut *facilè* alter magis *ipsi* amicus non *inveniretur*. *Hoc igitur tam egregio comitatu ad oppidum* Fundos *decimo miliari à* Tarracinâ *distans, pervenimus, quod sanè* libenter prætore *scilicet* Aufidio Lusco relinquimus, ridentes *insignia* & præmia scribæ *ob novum præturæ magistratum* insani & *insolescentis. Nimirum qui, si dîs placet, ex scribâ prætor factus magistratus insigne togam purpurâ* prætextam, & latum clavum *senatorum insigne induerat,* & *in signum prætoris,* bacillum *per unum lictorem sibi præferri volebat, quo ignis & prunæ meritò moveri debuerant.* Deinde lassi *ex itinere* in *nobilium equitum Romanorum* Mamurrarum urbe *Formijs*, manemus & *pernoctamus*, ubi Murena domum *tectum & hospitium*, Capito *autem* culinam *victum & cœnam nobis* præbuit. Postea lux multo gratissima *nobis* exoritur. Namque Sinuessæ, *in oppido Minturnis proximo nobis* occurrunt Plocius, & Varius, & *P.* Virgilius *Maro*, animæ tales *profectò*, quibus & *qualibus ipsa* terra candidiores non tulit *neq; produxit*, neque quibus alter *quispiam* me *Horatio familiarior, amicior*, devinctior *unquam inveniatur.* O qui cõplexus, *quæ lætæ acclamationes*, quanta *autem* gaudia fuerunt! *planè incredibilia. Profectò* ego *Horatius, quàm diu* sanus *prudens,* & *rationis compos fuerim, cum* amico jucundo & *sincero* nihil *unquam* contulerim & *comparaverim, illumq; omnibus rebus humanis merito suo prætulerim. Vlterius deinde progressis* villa quæ Campano ponti *super Lirim fluvium* proxima *est*, *nobis pernoctantibus* tectum præbuit, & parochi *ac præbitores, qui legatis Reipublicæ causâ missis* ligna, salem, *aliaq; necessaria* quæ debent, *exhibuerunt. Postera die* hinc *ab hâc villulâ satis maturè* Capuam *venimus*, ubi muli *nostri* clitellas *onera & sarcinas suas* tempestivè deponunt. *Hic Capuæ dum sumus* Mæcenas *cum socijs suis cum pilâ* lusum prodit ego *verò* & Virgilius *imus* dormitum. Namque lippitudine, *ut ego Horatius*, & cruditate, *ut Virgilius* laborantibus inimicum & *ingratum est* pilâ ludere. Hinc *à Capuâ digressos Lucij* Coccei *Nervæ comitis nostri* plenissima, *copiosissima, omnibusq; rebus necessarijs abundãs* villa nos recipit, quæ super ClaudI cauponas *oppidum Samnij non procul à Benevento* est, *illiq; oppido imminet.* Nunc *tempus est, ò* Musa, *ut ulteriùs scribenti rem arduam ac sublimem* mihi *præsto sis*, & velim *ut mihi* paucis memores, pugnam Sarmenti scurræ, & & Messij Cicerri, & quonam patre uterque

natus

flatus lites contulerit, *alterq́; alterum maledictis defatigarit.* Messij Cicerri clarum genus *fuit. Vtpote qui* Oscus *esset, ex nobilißimâ illâ (si Dis placet) Italiæ regione:* Sarmenti *autem scurræ* domina *quædam* extat: *à quâ ille tanquam servus olim, è servoq́; natus manumißus fuit.* Ab his *talibus ac tantis* parentibus *egregij profecto viri* oriundi ad pugnam *& certamen* venêrunt. Prior Sarmentus *scurra Antagonistam suum Cicerrum compellare & provocare incipit, & inquit: ego* dico te humilem esse, feri *& indomiti* equi. *Nos convivæ comparationem tam ridiculam audientes,* ridemus. At ipse Messius accipio, *inquit probrum, quod in me conijcis, simulque tanquam minitabundus* caput movet. *Quod ut videt Sarmentus statim subdit, &* inquit: cum tu mutilus *exsecto è fronte cornu* sic *caput moveas, mihiq́;* miniteris: *age* quid facceres, *quàm indomitus & ferus futurus eras, si cornua adhuc haberes, &* nisi frons tua cornu exsecto *mutilata* esset? At *verò hoc dixit, quia* illi *Cicerro tanquam Campano, qui verrucas & tubera è fronte exscindi sibi curaverat* fœda *quædam & deformis* cicatrix *exinde nata* in læva oris, *& faciei* parte frontem *hirsutam &* setosam deformaverat. *Nimirum qui Sarmentus cum* multa jocatus *esset* in Campanum morbum, *& verrucas ac tubera Campanorum &* faciem *propter cicatrices deformem*: rogabat *ipsum Cicerrum* ut saltando *in Mimo quopiam* pastorem Cyclopa *Polyphemum, Monophthalmum deformem & terribilem imitaretur & repræsentaret: illi, cum adeo deformis esset* larvâ & *cum magnæ corporis staturæ esset,* tragicis cothurnis *& editoribus calceis* nihil opus esse. *Messius* Cicerrus *contra* ad hæc *convitia* multa *respondebat, & ex Sarmento* quærebat, jamne *Dis domesticis ac* Laribus *compedes &* catenam ex voto donasset, *quippe qui paulò ante vilißimus servus, jam si Dis placet manumissus & libertus factus esset. Dicebat interea,* quod *ex servo libertus &* scriba *factus* esset, *idcirco* dominæ *suæ, quâ ipsum manu miserat, potestatem &* jus *in illum* nihilo deterius, *nihilq́; imminutum* esse: *quippe qui adhuc teneatur dominæ suæ servitutem servire.* Denique *interrogabat ipsum,* cur unquam *à dominâ suâ tanquam fugitivus servus* aufugisset, *quod nimis parcè apud ipsam pastus esurire coactus fuerit: nimirum* cui *tam* gracili, tamque pusillo *corpore* una farris libra, *quæ alijs in dimensum diurnum tantum datur, cum alij servi quaternos modios frumenti accipiant,* abundè sufficeret. *Sanè* hanc cenam prorsus jucundè *propter contentiones hasce scurrarum ridiculas* produximus. Hinc *à villâ*

Coccëi recto itinere Beneventum urbẽ in agro Samnitum tendimus, ubi hospes noster sedulus ac diligens, sed parum cautus pænè cum domo suâ ardet & combustus est, dum in tenui apparatu occupatur, & macros turdos assat, & in igne versat. Nam cum Vulcanius ille ignis per veterem culinam, perq; vetusta arida domus ligna, dilapsus & dispersus esset; flamma summum domus tectum lambere, leviterq; contingere properabat. Ibi verò tunc videres omnes convivas avidos esurientes & famelicos, & servos metu incendij timentes & trepidantes cœnam ac cibum appositum è flammis rapere, omnesque sedulo flammam & incendia velle restingnere. Ex illo oppido Benevento digressis, & ulteriùs tendentibus Apulia patria mea incipit demonstrare montes Apenninos altissimos, mihi Horatio patrios & satis notos, utpote patriæ meæ vicinos, quos mõtes Atabulus pestifer ille ventus frigore suo torret & exurit, adeò ut vix ullo calore postea recreari possint, & quos nos illo die nunquam perrepsissemus aut pertransissemus, nisi Trivici illis montibus vicina villula nos recepisset hospitio quodam non sine fumo lacrumas provocante, mihiq; lippo permolesto, eo quod in camino udi ac virentes arborum rami una cum udis folijs comburerentur. Hic in hâc villâ dum pernocto ego Horatius ad mediam usque noctem insomnis jaceo, & puellã quæ noctem mihi pollicita erat, fallacem ac mendacem stulissimus exspecto. Tandem tamen me Veneri intentum, deq; concubitu cogitantem somnus aufert & avocat, meq; occupat & invadit, nempe dum illam exspecto in somnum incido. Ibi tum insomnia per immundum & obscænum visum, quo videbar mihi cum amicâ consuescere, eruptione seminis vestem & ventrem, dum supinus jaceo, inquinant & maculant. Hinc deniq; ab hâc Trivici villâ, viginti quatuor millia passuum rhedis celeriter vehimur, & quasi rapimur in oppidulo aliquo Equotutio mansuri & pernoctaturi, quod versu Hexametro dicere & exprimere non est, signis autem describere perfacile licet. Hic aqua longè omnium vilissima venit ac emitur. Sed contra panis longè candidissimus & pulcherrimus, adeo ut viator callidus & prudens illum ad ulteriora loca secum portare soleat. Nam Canusij in vicino Apuliæ oppido panis est lapidosus, aquæ autem urna & potio non est dulcior aut palato gratior, quàm Equotutij; ubi aqua est vilissima & patidissima; nempe qui locus Canusium à Diomede Tydei filio Græcorum fortissimo olim conditus est. Hic dum sumus summus noster ami-

ster amicus Varius, *quod nos deserere cogeretur* mæstus *à nobis* amicis *desiderio amici* flentibus, discedit. *Nos reliqui* inde Rubos *ad Campani oppidum* fessi *ac defatigati* pervenimus, utpote *qui* longum iter carperemus, *&* *quod* imbre ac *pluviâ* corruptius *esset* f ctum. Postera *dies ac* tempestas melior *quidem ac serenior erat, sed* via *ob præteriti diei pluviam* pejor, donec *perveniremus ad Apuliæ oppidi* Bari mœnia *quod à mari alluitur*, piscibus *abundans*. Dehinc *ulterius nobis progressis opidum* Egnatia *in litore Hadriatici maris* iratis lymphis *ac fluctibus marinis à quibus quotidiè immensis aquarum globis oppugnatur*. exstructa, dedit *mihi comitibusq; meis* ludos, & jocos, *&* *amplissimam* ridendi *materiam nobis exhibuit*, Dum *nobis* cupit persuadere, *ibi in templi aris, &* sacro limine thura *Dijs oblata incendi ac* liquescere sine *ullâ* flammâ *aut igne adhibito*. *Alios sibi quærant, quibus hæc persuadeant, &* Iudæus *aliquis* apella, *recutitus & verpus hæc & alia superstitiosa* credat. Non autem ego *Horatius*, *qui in Scholâ Epicuri* didici Deos *nō posse beatos nisi quietos, & ab ōni curâ vacuos esse: ac proinde illos* securum ævum agere, *& mortalia hujusmodi non curare*; Nec si quid *casu, aut cæco naturæ impetu fiat, aut si bruta ac improvida* natura *aliquid* faciat, illud Deos *tanquam de rebus humanis sollicitos*, tristes, *ac tetricos* ex alto cæli *culmine deorsum non* mittere, *ac proinde Dijs imputandum non esse, neq; ab illis proficisci*. *Deniq;* Brundusium *perveni*, *ubi hujus meæ scriptionis, narrationis &* chartæ *satis* longæ, *meæq;* viæ *& itineris satis prolixi trecentorum & sexaginta milliarium*, finis, *& meta fuit*.

SATVRA VI.

L*Ongè tu quidem, Caj Cilni* Mæcenas, *patrone incomparabilis à moribus vulgi vitâ factisq; tuis alienus es*. Quia *enim inter omnes* quotquot Lydorum *in* Etruscos fines *domicilium suum Tyrrheno duce per coloniam transtulit, eosq;* incoluit, nemo est te *nobilior &* generosior: Quia etjam avus maternus & paternus tibi fuerūt *viri consulares*, qui olim *summi bellorū duces* magnis legionibus *præfuerunt, &* imperârunt: *Non ideò, inquam, quia talis es*, ut plerīq; *alij* solent, *superbis, aliosq;* ignobiles *præ te contemnis, & vafiè irridens* adunco naso suspendis, *& imprimis* me *inter aliosignobilem*, libertino patre *in municipio extra Romam in Apuliâ* natum. Cum *scilicet ad-*

cet adfirmas nihil referre, aut ad rem pertinere quibus & qualibus parentibus quisque prognatus sit, dummodo animo generosus, ingenuus, & honestus sit. Tuq; adeò, ò Mæcenas, rectè ac verè hoc tibi persuades ante Servij Tullij Sexti Romanorum regis ex captivâ servâ nati ignobile regnum, & potestatem sæpe multos viros obscuris, & pæne nullis majoribus exortos probos vixisse, & amplis honoribus auctos & ornatos fuisse, Nec Tullium illũ omniũ primũ fuisse, qui ex ignobilibus parentibus ortus ad magnas dignitates pervenerit: Quippe cum priscis illis temporibus non tam majorum nobilitas & fumosæ imagines æstimatæ fuerint, quàm posterorum cujusq; virtus atq; dignitas. Contra autem rectißimè statuis Levinum filium degenerem P. Valerij Lævini Poplicolæ, à quo ob singularem virtutem, & animi firmitudinẽ Tarquinius Superbus Septimus Romanorum rex regno suo pulsus, & ex urbe ejectus fuit, prisco sæculo non pluris unius assis pretio licuisse, aut æstimatũ fuisse: Idq; nôsti quonam judice notante? Nempe populo ac vulgo, qui tamen nobilitatem pluris facere solet, & sæpe tanquam vanus ac stultus in indignos honores conferre solet, & tanquam ineptus vanæ opinioni ac famæ inservit, qui in titulis antiquarum statuarum, & majorum imaginibus cum admiratione, & stupore hæret. Quod si stultus populus spretâ generis nobilitate malos & ignavos contemnere potuit: age quidnam nos sapientiores facere convenit, qui à vulgo longè atque latè vitâ pariter & studijs remoti sumus? Æquum profectò est nos præsertim ignobilibus majoribus progenitos honoribus & ambitiosis officijs manus non admoliri. Sed quid fit? omnes promiscuè honorum ac gloriæ studio ducimur. Esto namque, ut populus suo more agat, & Lævino ipsi, licet ignavo, tamen tanquam nobili magistratus honorem commendare mâlit, quàm Decio homini novo atq; ignobili: Esto etjam, ut si ego Horatius libertino natus magistratum appeterem, Appius Censor me removeret, & ab honore magistratus abdicaret, quod libero ingenuoq; patre natus non essem, (id quod vel meritò meo faceret, ut qui mediocritatis meæ oblitus majora meipso expeterem, & in propriâ pelle nõ quievissem) Sed nihilominus tamen ambitio gloriæq; cupido curru triumphali auro gemmisq; fulgente non minus ignobiles & obscuros, quàm nobiles & generosos constrictos vinctosq; trahit, & ad se rapit. Omnes, inquam, honoribus ducuntur, qui tamen quàm vani, & cum quibus molestijs ac difficultatibus conjuncti sunt! Sanè vana pariter ac misera res est ambitio, quod

multo-

multorum exemplis liquet. Age enim, Marce Tulli Cicero, quò tibi profuit, & ad quid te juvit, clavum latum senatorum vestem Iulio Cæsare vivente depositum, cum victo Pompejo (à cujus partibus eras è senatu movebaris) interfecto Cæsare rursus assumere, & magistratum ambire, & tribuno militum fieri? Nimirum invidia tibi accrevit, quæ si privatus mansisses longè minor tibi futura era; hoc scilicet tibi contulit. Nam statim ut aliquis insanus ac ambitiosus medium suum crus nigris hædinis pellibus impedijt ac revinxit & calceis senatorijs altioribus uti cœpit, & latum clavum senatorij ordinis insigne è pectore deorsum demisit, & aliquem magistratum ambivit: ille per plateas incedens continuò hosce populi sermones de se audit: quisnam hic homo novus est, qui ad magistratum adspirat? quonam patre natus est? Non secus ac si quis laboret ac ægrotet illo morbo, quo olim Barus ægrotavit, ut nimirum formosus dici ac haberi cupiat, & formæ nimium studiosus, per plateas quacunque eat, suaq; formositate puellis curam inijciat, de singulis corporis sui membris curiosè quærendi & percunctandi, qualinam sit facie, quali surâ, quali pede, dente, capillo & cæteris: sic qui magistratum ambit, & candidatorum more habitu suo promittit omnes cives, totam urbem, & universum imperium Romanum, omnemque Italiam, Deorumque templa & delubra, & totius adeo Reipub. commoda & salutem curæ sibi fore: ille omnes mortales curiosè de se quærere ac percunctari cógit, quosnam natales habeat, quonam patre natus sit, num ignotâ aliquâ matre tanquam spurius & inhonestus genitus sit. Romanus enim populus mirum in modum indignari solet ubi aliquem ex ignobilibus parentibus & servis natum ad honores & dignitates pervenisse videt. Et operæ precium est audire, ejus lites & concertationes cum ignobilibus, vanamq; in demandandis magistratibus consuetudinem, cum ignobiles hisce verbis indignabundis cópellant; tune Syri aut Damæ, aut Dionysij alicujus servi filius ad tribunitiam potestatem evectus es, & cives Romanos ex ingenuis parentibus ortos è saxo Tarpei montis condemnatos dejicere, aut notæ crudelitatis carnifici Cadmo securi percutiendos tradere audes? Ibi tunc ignobilis ille libertinus tribunitiá potestate perfungens se excusat & respondet: At cur magistratum non appetam, cum collegam habeam in ordine equestri me inferiorem? nam Novius Collega meus uno gradu post me sedet. Namque ille est Libertus, quod erat pater meus, cum ego sim libertinus. Ibi tunc Populus rursus subijcit; anne verò ob

hoc, *quod collegâ tuo superior sis* Paullus aut Messalla *Iurisconsultus nobilissimus, summoq; loco natus & generosus* tibi videris? At hic *tamen collega tuus nostro judicio longo tibi anteferendus. Nimirum, qui tantum voce valet, ut* si *in* foro ducenta plaustra, & tria funera *uno tempore magno sonitu inter se* concurrant : *tunc ille immensâ voce tam* magna sonabit, quod cornua ac tubas *in funere inflari solitas* vincat & *superet.* Saltem hoc *uno, quod tantum clamare possit,* nos *sibi devinctos* tenet: *quippe qui vociferandi facultate præditus gubernando populo ex meritò præficitur. O ridiculum ac ineptum vulgi judicium, quod in decernendis honoribus plus judicij non adhibet, quam quodvis irrationale animal aut brutum. Sed missis his,* nunc ad me redeo patre libertino natum, quem omnes *homines* mordent patre libertino natum. *At verò illud potissimum duabus de causis, in quo invidorum stultitia inprimis notanda est, qui non minus ob virtutis merita, quàm fortunæ bona livoris sui spicula in me conijcit. Ob hæc enim potissimum mihi invident, meq; clanculum arrodunt. primùm* quod nunc tibi ô Mæcenas convictor *familiaris ac domesticus* sim: *deinde* quod *sub Cassio & Bruto olim* Romana legio, *milesq; tribuno* mihi paruerit. *At verò stulti* illi *non vident, quod* hoc, *tribunum militum fieri, illi, in tuam familiaritatem recipi,* dissimile est. Quia ut quivis fortassis jure *ac meritò mihi invidere poterit* honorem *illum tribunitiæ potestatis, quod casui ac fortunæ, aut vano aliorum judicio, fortè honore illo indignus, debeo,* ita quoque te mihi amicum *esse* invidere poterit, *quod meis qualibuscunq; virtutibus acceptum fero.* Te *amicum, inquam,* præsertim *adeo* cautum, *adeo circumspectum* in *amicis tuâ familiaritate* dignis assumendis; *tam* procul *à* pravâ ambitione *remotum, quâ aliorum more divites ac nobiles non eligis sed viros probos ac modestos. Sanè* hoc *ipso* me felicem dicere nō possum, quod casu *aliquo fortuito* te amicum sortitus *sim.* nulla enim fors, *nullusq; casus* te *tantum amicum* mihi obtulit, *sed certo judicio, certo consilio ac deliberatione præhabitâ me amicum adscivisti. Quippe* olim optimus *ille Poëtarum* Virgilius, *deinde* post hunc Varius quid essem *tibi* dixerunt: *qui* ubi *vocatus* corā *ad te* veni, *interrogatus à te,* pauca *admodum idq;* singultim *per intervalla interruptis verbis* locutus *sum.* Infans enim pudor *& verecundia, quâ impeditus nihil loqui poteram,* plura *dicere ac* præfari *me* prohibebat. *Nimirum narro* ego *tibi ipsam veritatem, idq; simpliciter;* non me *nobili aut præclaro* patre natum *esse,* nec

nec me *tanquam divitem* equo *aliquo* Satureano *ex Apulâ* circa villas *prædia & rura mea suburbana equitare ac vectari*, sed *nullâ verborum jactantiâ & ostentatione usus*, quod eram *candidè & simpliciter tibi* expono. *Tu verò*, ut tuus mos est pauca *mihi* respondes, *ego deinde* abeo, *quem tu demum* nono mense post, *publicis interea negotijs occupatus, ad te* revocas, *& inter Varium, Virgilium, aliosq;* in amicorum *tuorũ* numero esse jubes. *Nempe* ego magnum, *& summæ felicitatis* hoc *loco* duco, quod tibi placui, qui *accurato tuo judicio* honestum à turpi discernis; *quod ego, inquam, tibi placui*, qui patre *natus sum, qui nobilis quidem aut* præclarus non esset, sed vitâ *integerrime actâ*, & pectore *animoq; suo* purus *esset & candidus*. Atqui *quod tibi placui Mæcenati meo soli parenti meo debeo*. Nam si mea *natura licet virtutibus non prædita*, mediocribus *tamen &* paucis *tantum* vitijs mendosa est, alioqui, *paucis illis vitijs exceptis*, recta *& integra* (veluti si *aliquis in* egregio corpore *paucas maculas ac* nævos inspersos reprehendat) si neque avaritiam, neque sordes, ac mala lustra *pernitiosa lupanaria, & nefarias libidines* quispiam verè mihi obijciet, *&* (ut me *ipsum* collaudem) *si* purus & insons *à gravioribus sceleribus* meisque amicis *propter facilitatem morum* gratus*& acceptus* vivo, hisce *omnibus* pater *meus* causa *extitit*, qui *licet* pauper *agricola in* macro agello *victum sibi quæreret, tam magni animi tamen fuit, ut more aliorum* me *ad avaritiam & opes accumulandas instruere &* in Flavij ludum *ut artem numerandi addiscerem*, (in quem *ludum* magni *scilicet* pueri è magnis centurionibus *ditibus ac nobilibus parentibus* orti ibant, singulis octo mensibus, (*quo spatio pleriq; artem illam addiscebant*) æra *doctrinæ pretium ac didactron ad præceptorem suum* referentes, *& in lævo lacerto loculos in quibus calculos habebant, & tabulam ratiocinatoriam suspensam habentes*) mittere noluit; sed *licet pauper, me* puerum Romam portare ausus est, ut *ibi artes* docerer, quas artes quivis eques ac senator *filios suos nobiles* semet prognatos *meritò* doceat, *liberales & ingenuas*. *Atq; adeò tam honestè ac liberaliter me ibi pater aluit* ut si quis in magno populo *Romano honestam meam* vestem & servos subsequentes *in ludum* vidisset, crederet *me à majoribus divitibus ac nobilibus ortum esse*, illosq; sumptus ex avitâ re *ac patrimonio* mihi præberi *ac suppeditari*. *Quin etjam* ipse *pater pudicitiæ* meæ custos incorruptissimus, *sanctissimus & integerrimus* circum omnes

docto-

doctores, à quibus instituebar, mihi aderat. quid multa? longum esset omnia recensere. Nempe parens meus, (qui sanè virtutis honos primus ac princeps est) non solum ab omni turpi facto me incolumem & pudicum conservavit, verum etjam ab omni turpi opprobrio ac malâ famâ, atq; adeo ab omni malâ suspicione liberum me præstitit. Quid? quod nemo parenti meo tanquam viciosum objicere potuisset si me sui similem in vili vitæ condicione institui voluisset. Neq; enim timere potuit, ne quis olim sibi vitio verteret, si tanquam præco rerum venalium, aut tanquam coactor vectigal exigens, ut pater meus ipse fuit, ego parvas mercedes sequerer, neque ego etjam unquam de patre meo conquestus essem, si tanquam præco & coactor, nec aliquid supra parentem meum factus essem. Qui quoniam in liberalioribus artibus me institutum voluit, ob hoc nunc major laus & gloria, majorq; gratia nunc illi à me debetur. Sanè quàm diu sanus ero, nunquam me pæniteat hujus patris tam præclarè erga me affecti, numquamq; ob illum minus beatus mihi videar. Eoque nomine non alios imitabor, & sic me defendam, ut magna hominum pars conqueritur, suoq; dolo ac culpâ factum esse negat, sed fortunæ iniquitate, quod claros ingenuos & nobiles parentes non habeat: cum parentem habuerim si non nobilem, saltem virum optimum, & vitâ integerrimum. Proinde mea vox, meaque ratio longè ab illis stultis hominibus discrepat, nec idem cum illis loquor ac sentio. Nam si hominibus à certis annis repuerascere liceret, ipsaq; natura humana juberet, post certum temporis intervallum vitam & ævum humanum peractum denuo ire ac remeare, atque alios parentes quoscunque pro arbitratu cujusq; ad fastum, superbiam, & ambitionem sibi eligere: tunc unusquisque alios parentes, nobiles, consules, principes, reges, sibi exoptaret: ego Horatius contra meis parentibus contentus alios parentes fascibus & sellis, magistratu aliquo honoratos & ornatos mihi sumere recusarem, eoq; nomine vulgi judicio demens viderer, qui nobilitatem ac divitias contemnerem; at fortassis tuo judicio, ò Mæcenas, qui & ipse intra tuam fortunam manere mâvis, & populares honores non magni æstimas, sanus fortassis ac prudens, eò scilicet nomine, quod in me molestum aliquod onus suscipere nollem, quod haud unquam portare solitus fui. Nam si nobilis ac generosus essem, continuò major res, majores divitiæ mihi quærendæ forent, majorum amicitiæ essent ambiendæ, plures mihi salu-

tandi

tandi *essent,* unus & alter comes *officij gratiâ mihi* ducendus *esset,* ne *scilicet vel* rus, vel peregrè solus *sine comitatu* exire.n, plures calones *ac ministri, plures equi* ac caballi *mihi* pascendi *essent* petorrita *vehicula Gallica semper mihi* ducenda. *Hisce tot monstris privatus ac ignobilis nunc careo. Nimirum* mihi *jam sine vituperio* licet mulo, cui cauda decurtata *est,* si libet *vel* usque Tarentum *in magnam Graeciam remotissimam Italiae regionem* ire, *& qui mulus ambitiosè ornatus non sit, sed* cui mantica, *aut ascopera suo onere,* aut eques *insidens suâ gravitate* lumbos *&* armos *exulceret. Quod si frugalius aut parcius aliquanto vivam,* nemo *tamen* mihi *privato* sordes *illas* objiciet, *aut probro dabit,* quas *populus Romanus* tibi M. Tulli *Cicero objecit,* cum te praetorem *in* viâ Tiburtinâ quinque pueri sequuntur, *variam suppellectilem honestam & obscaenam, atq; adeo* lasanum & aenophorum *secum* portantes, *ne scilicet iter faciens ab hospite talem supellectilem utendam sumere & pro illo aliquid solvere cogaris, sed ut minori sumptu peregrinari possis. Nempe* hoc *ipso* ego *Horatius longè* commodiùs *& jucundiùs* vivo, quàm tu praeclare senator M. *Cicero,* atque *etjam longè commodius* millibus *multis* alijs *qui magistratum gerunt, qui* solus quâcunque libitum fuerit incedo, percunctor *de rerum pretijs,* quanti olus ac far *& reliqua vendantur.* fallacem *illum* circum *ubi Astrologi, divinatores, somniorumq; interpretes. &* forum *aliaq; loca matutino &* vespertino tempore saepe *pervagor &* pererro, *rebusq;* divinis, *& sacrificijs publicis ac privatis pro libitu* adsisto, deinde domum me refero, *&* ad porri ciceris & lachani *olerisq;* catinum *& vas escarium, ad frugale prandium & caenam* recipio. *Quae* caena *à* tribus pueris *mihi* administratur, mensa *Delphica* ex albo lapide *marmore* duo pocula cum cyatho, *quo aquam ad vinum temperandum haurio,* sustinet, *quibus* vilis Echinus *ventricosa olla* cum *vasto ore* astat, & guttus *unde oleum aut vinum guttatim defluat* cum *quâdam* paterâ; *quae tota* supellex Campana *& fictilis est.* Deinde dormitum eo non sollicitus quod cras *summo* mane mihi *ex arduo aliquo negotio* surgendum sit, quod Marsyae statua *in foro, ad quam vadimonia statuunt & litigant, litium causâ sit* obeunda quae *statua* negat se posse ferre vultum *minoris* Noviorum *fratrum, feneratoris & litigatoris adeò impudentis, ut etjam lapideae statuae ejus vultum amplius sustinere nequeant. Mane* ad quintam *horam saepe etjam in medium diem*

 jaceo.

jaceo. Poſt hanc coram cum ſurrexi in civitate vagor & deambulo, aut lego & ſcribo aliquid, quod me tacitum ac priuatum juvet & exhilaret: olivo etjam inungor non immundo, quo Natta ille immundus, ac degener ſe inungit furtim ſublato, & lucernis per fraudem oleo ſuo privatis. Aſt ubi me ambulando, legendo & ſcribendo feſſum, acrior ac vehementior ſol admonuit ut me lavem, tunc tempora caniculæ rabioſi cæleſtis ſigni, dieſq; caniculares æſtuoſos fugio, & æſtus causâ, non avidè prandeo, ſed tantum ſolum quantum me totum diem inani ventre durare non ſinat ac interpellat, tantum ne jejunus ſim, domique maneo, atq; ibi tanquam privatus otior. Hæc nimirum eſt vita longè beatiſſima illorum qui miſerâ ac gravi ambitione ſoluti ac liberati ſunt. Hâc vitâ hiſce rebus me conſolor, nempe qui privatus longè ſuaviùs aut jucundiùs victurus ſum, ac ſi avus, & pater, atque patruus meus, quæſtores ex ſenatoriâ familiâ ditiſſimi & nobiliſſimi fuiſſent.

SATVRA VII.

QVonam pacto Perſius ille hybrida & ſemiromanus ex patre Græco & matre Romanâ natus illius Rupilij Regis per proſcriptionem Auguſti civitate expulſi purulentam & virulentam calumniam ultus ſit, adeo percrebuit, ut exiſtimem illud omnibus lippis ad tonſoribus, omnibus otioſis & loquacibus hominibus, fando auditum & notum eſſe. Perſius hic, de quo loquor, dives admodum mercator erat, & Clazomenis in urbe Aſiæ negotiabatur, & permagna ibi negotia habebat, & inter alia moleſtas etjam lites & contentiones cum Rupilio Rege, de quo dixi. Durus profecto & ſævus homo, atque talis, qui odioſâ oratione ac convicijs etjam reges vincere ac ſuperare potuerit. Homo confidens, improbus, audax, temerarius, iracundus, tumidus ac ſuperbus, & ſermonis adeo amari, adeo odioſi & mordacis, ut etjam Siſennas & Barros, calumniatores improbiſſimos albis ac velocibus equis longè præcurreret, & maledicendo ſuperaret. Sed miſſo Perſio ad regem redeo. Poſtquam inter utrumque & Regem & Perſium nihil omnino convenit, illiq; inter ſe hoſtes capitales & inexpiabiles facti ſunt. (Hoc enim jure, & hâc naturâ omnes moleſti ac maledici calumniatores inter ſe ſunt, & vivunt,

quo

quo *jure vivunt*, *quamq; naturam habent heroës* fortes *& magnanimi*, inter quos adversum bellum *& discordia* incidit. *Sic* inter Hectora Priami *filium fortissimum*, & inter Achillem animosum *Heroas magnanimos* ira capitalis *& pestifera*, *& inexpiabile odium* fuit, *adeo* ut mors *omnium rerum* ultima *illam iram* divideret, *illudq; odium alterius Hectoris interitu dirimeret & sedaret*, *idq;* non ob aliam causam nisi quod in utroque *Heroe* summa virtus *& fortitudo fuit, quâ uterq; confisus alter alteri concedere noluit. Contra autem* si duos *ignavos ac* inertes discordia vexet *& exagitet*, aut si *duobus* disparibus *forti & ignavo* bellum incidat *ac oriatur*, ut *Homero teste Tydei filio* Diomedi cum Lyrio Glauco *Hippolochi filio in Trojano bello fuit, illud bellum facilè dirimitur, quippe cum inter duos illos, qui* pigrior *ac ignavior est* discedat, *& adversario victoriam concedat, sæpè etjam* ultro munera *ipsi* mittat, *ut Glaucus Diomedi arma aurea pro æreis, ut ab armis discede et promisit.)* Cum *igitur* M. Brutus prætor Asiam *obtineret* par *illud gladiatorum* Rupilij *Regis* & Persij *Heroum fortissimorum inter se* depugnat, *qui profecto in suæ armaturæ genere adeo pares fuerunt*, ut Bacchius *eximius gladiator* cum Bytho *altero gladiatore robustissimo* melius compositus non *fuerit, & in arenam descenderit*. *Hi igitur duo post longum & anceps prælium, post innumera convitia & maledicta quibus se invicem onerabant tandem animis* acres *& concitati* in jus procurrunt, *& ad Brutum, ut is causâ cognitâ litem dirimat, contendunt & festinant*, uterque *profecto* magnum spectaculum *Bruto, ejusq; comitibus fuit.* Persius *actionis initium facit*, *&* causam *inter se & Rupilium* exponit, *quod dum facit* ab omni conventu, *quotquod cum Bruto aderant effusus cachinnus editur &* ridetur. *Interea* laudat *Prætorem* Brutum, laudat etjam cohortem *prætoriam, quæ Prætori Bruto in provinciâ pro satellitio aderat.* Brutum appellat *clarissimum sydus*, *&* solem *totius Asiæ*, *ejus* comites *vocat salubres ac salutares* stellas, *omnes* excepto *unico & solo* Rege, quem *dicebat unà cum Bruto* advenisse *tanquam* caniculam *cæleste sydus gravissimum & horribile*, agricolis invisum *ac damnosum. Quæ dum magnâ verborum copiâ profundit, adeo præceps vehemens & impetuosa ejus oratio* ruebat, ut hybernum *aliquod* flumen *imbribus ac nivibus auctum ex altissimis montibus, ruere ac dilapi solet per illa loco*, quo *propter rapacitatem fluminis frondator aut lignator cum* securi *rarò* pervenit. Tum *verò ubi Persius di-*

 cendi

tendi finem fecit alter Antagonista Rupilius Rex ex Præneste ortus respondet, inq; adversarium suum maledicta atq; convitia, tanquam durus illepidus ac acerbus vindemiator, ex arbusto, & arboribus, in quibus uvas colligit, prætereuntes convitijs & maledictis provocat: sic ille ex arbusto, sui pectoris nimium salso festivo ac mordaci & dicacibus verbis multùm profluenti convitia ac maledicta expressa, probè regerit In quibus convitijs adeo durus & invictus, adeo vehemens ac validus fuit, ut cum tanquam vindemiator messis tempore uvas legisset, & pro messorum, & vindemiatorum more viatores prætereuntes maledictis provocâsset, viator, quamvis maximus conviciator magnâ voce ipsum cuculum sæpe compellasset: tamen ab ipso victus cessisset, & manum dedisset. At semigræcus ille, & Hybrida Persius, postquam Italo aceto, Romanis salibus aculeatis ac mordacibus probè à Rege perfusus fuit, magnâ voce exclamat: ó Imperator Brute, per magnos Deos immortales te oro, ut cujus majorum fortissimus ille Iunius Brutus, Tarquinium Superbum regem ex imperio Romano ejecit, atq; adeo, qui tu ipse Reges & perpetuam dictaturam occupantes Iulium Cæsarem, & alios è medio tollere consueveris: cur non etiam hunc Regem jugilas, & è medio tollis? Crede mihi, ô Brute, hoc tuorum operum, tuiq; muneris ac officij est.

SATVRA VIII.

Olim rudis ac inutilis truncus ficulnus eram, ramisq; & radicibus amputatis lignum informe, & iners pondus jacebam, cum faber me intuitus, dubius ac incertus quidnã rei ex me, scamnũ, anne verò Priapum hortorum custodem faceret; tandẽ Deũ me esse maluit, suâq; industriâ & artificio hanc mihi formam indidit. Inde nimirum ego Deus Priapus hortorum factus sum, malorum furum, qui auferendorum fructuum gratiâ alienos hortos ingrediuntur, & avium, quæ hortorum sementis damnum afferunt, maxima formido, & terror. Quippe dextera mea falce ac fuste armata, & ingens virile membrum tanquam ruber aliquis palus ab obscæno inguine & pudendis longitudine duorum pedum extentus & porrectus, fures coërcet, & ad hortum accedere prohibet: At importunas volucres, quæ nullâ DEI reverentiâ proximè quotidie advolant, & molestæ sunt, arundo in ver-

tice

tice *capitis mei* fixa, *& vento variè impulsa & commota* deterret *& fugat, inq; hisce* novis hortis *nuper à Mæcenate conditis* considere, *& locum capere* vetat. *Diu enim non est, quod hic pauperum, & servorum vilium sepulcreta fuerint.* Prius *enim & antea, hic ubi horti jam sunt. pauper aliquis, aut* conservus *conservorum* cadavera in vili *aliquâ* arcâ *aut capulo ex* angustis *domunculis, casis*, *vel tiguriolis* ejecta huc *in hunc locum* deportanda locabat. *Atq; adeo* hoc miseræ plebi, *& Malio* Pantolabo scurræ; & *Cassio* Nomentano nepoti, *alijsq; qui per luxuriam amplissimis opibus absumtis ad extremam paupertatem redacti sunt* commune sepulchrum stabat *& paratum erat*. *Nimirum in hoc loco* cippus *aut lapis quidam* in agro *erectus hisce pauperibus ex mente testatoris titulo quodam solemnibus verbis inscripto hunc sepulturæ locum* dabat hâc *magnitudine, ut* mille pedes in fronte *aut longitudine essent*, trecentos *autem pedes* in agrum *aut latitudinem extenderentur, ita ut hæc pauperibus sepulchra semper relinquerentur, &* ne hæredes *hoc* monumentum sequerentur, *aut sibi arrogare posset*. Nunc *verò quando commune sepulchrum esse desijt, splendidæ ædes hic in* Æquilijs *exædificatæ sunt, in illisq;* salubribus, *gratis, ac amœnis* habitare, atque in aprico *& soli exposito* aggere *& aperto colle animi gratiâ* spatiari licet; quo *in loco paulò ante homines* tristes *aut lugubres mortuos sepelientes* agrum albis ossibus *cadaverum squalidum &* informem spectabant. *Jam igitur ædes ac horti voluptatis causâ ædificati sunt, atq; ego Priapus adeò, illis hortis custodiendis præfectus sum:* cum mihi *interea mali* fures ac feræ, *quæ olim propter cadavera* hunc locum *petere &* vexare *consueverunt, & ex consuetudine adhuc petunt*, non tantum curæ ac labori sunt, *aut tantum sollicitudinis & molestiarum injiciunt*, quantum *illæ, quæ* carminibus *ac incantationibus, malisq; herbis* ac venenis humanos animos *miris modis* versant, *agitant, vexant & rotant, veneficæ sceleratissimæ*. Hasce *ego* nullo modo perdere *aut è medio tollere, nullâ ratione, quo minus huc veniant,* prohibere possum, simul *ac nox venit, & postquam* luna, *quæ veneficijs præesse creditur, vaga & errabunda candidum suum atq;* decorum *caput* protulit; quin ossa *reliquias cadaverum sepultorum* herbasque *pestiferas ac* nocentes *ad veneficia sua hic* colligant. *Atq; ego adeò ne quis fidem mihi deroget, horum omnium oculatus testis fui. Nam ego* met *Priapus ipse famosissimam illam veneficam* Canidiam, cum Sagana *illâ majore* nigra *veste ac furvâ*

pallâ succinctam *& expeditam, &* nudis pedibus, & capillo *passo atq; sparso noctuarum, canum & furiarum more horribiliter* ululantem, *nocturno tempore* incedere vidi. *Vultus* pallor utramque *sagam* aspectu *terribilem &* horrendam fecerat. *Mox veneficia sua exercere, &* terram unguibus scalpere *& effodere , & fossam facere,* & *nigram aliquam* agnam, *quam secum attulerant,* mordicus *dentibus* divellere *ac discerpere* cæperunt. Cruor *autem agnæ dilaceratæ* in fossam, *quam unguibus fecerant mixtim confluit, & simul* confusus *est*, ut inde *ex fossâ mortuorum* animas *ac* maneis elicerent, *quæ illis interrogantibus* responsa darent. *Porro duæ* etjam effigies erant, *una* lanea, altera cerea. Major *autem & quasi potentior* lana *erat*, quæ inferiorem *& imbecilliorem ceream* pœnis *ac verberibus* compelleret. *Propterea* cerea *effigies ante laneam* stabat , *ipsi* supplicans, utpote jam peritura modis servilibus *verberibus ac flagris gravissimis. Postea veneficarum* altera *venefica* Tisiphonem *furiarum* sævissimam *veneficarum præsides in*vocat. Atque *tunc adeo* videres serpentes *&* canes infernales *furias Hecates Triviæ comites hinc inde* errare *& cursitare,* lunam *autem ruboro perfusam* post magna sepulchra *in viciniâ in sublime exstructa* latere *atq; se abscondere ,* ne hisce *tot ac tantis sceleribus conscia* testis esset. *Vera sunt quæ loquor :* at si quid mentior *hanc mendacij pœnam mihi statuo, ut* corvi *capiti meo insideant,* caputque *meum* albis merdis inquinent , atque *ut* in meam *hanc statuam omnes vilissimi & perditissimi nebulones* mictum atque cacatum veniant, *eamq; perpluat & permerdat, turpis ille & infamis* Iulius, & Pedacia *eques Romanus libidine corruptus,* fragilis *& impudicus , qui una cum sensu pudicitiam perdidit & prostituit,* & Voranus *Q. Catuli Libertus* fur *furacissimus, qui numulario ereptos nummos calceo abscondit.* Quid memorem singula, *quæ ibi vidi & audivi,* quo pacto umbræ *& animæ mortuorum* cum Saganâ *veneficâ,* alternis *vicibus* loquentes, *metuendum,* triste *ac lugubre ,* & *simul* acutum *& stridulum tenuissimis sibilis & susurris simile* resonarent; *&* quomodo *veneficæ illæ duæ* lupi barbam *aut rictum, quo veneficia depelluntur,* cum dente variæ *& maculosæ* colubræ , furtim *& secretè sub terrâ* occultaverint. & *quod* imagine cereâ *(de quâ dixi) in ignem conjectâ, & liquefactâ* ignis largior *& vehementior* exarserit, *& deniq; quâ ratione ego Priapus horrore perculsus quidem sim ob* voces horribiles , & *nefanda* facta *harum* dua-

duarum furiarum Canidiæ & Saganæ, sed tamen non inultus, aut non vindicatus testis fuerim. Nam tantum bombum emisi, tantumq; ventris eripitum edidi, & tantum adeò pepêdi, quantum vesica vento tumida cum immenso sonitu disrupta & displosa sonare solet, idq; ego Priapus ficulneus feci, natibus diffissis ac divisis, inq; diversum distractis. At illæ veneficæ, hoc tanto sonitu perturbatæ in urbem currebant: ibi verò Canidiæ dentes colubræ, ipsi autem Saganæ altum caliendrum & capitis ornamentum vel capillamentum, atque herbas venenatas, & licia diversorum colorum vincula diris incantionibus affecta ex brachijs atque lacertis excidere videres, idq; non sine magno risu atque joco.

SATURA IX.

ACcidit, hisce diebus, ut forte meo more per viam sacram, quæ ad Romanum forum deducit, irem & deambularem; nescio quid nugarum animo meo meditans, & volvens, in quibus totus cogitationibus meis occupabar: Cum quidam civis Romanus, cujus nihil præter nomen cognoveram, ad me accurrit, & arreptâ manu tanquam familiarissimus me compellat, & inquit: O dulcissime Horati, Salve. Quid rerum agis, ut vivis, atq; vales! Ego vero respondens, inquam, Ut nunc rerum mearum status est, satis suaviter, & ex sententiâ ago: Teq; vicissim saluto, & ut omnia quæ velis ex voto tibi succedant cupio & exopto. Cum autem viderem illum me affectari, cujus comitatu libenter defunctus fuissem, illum tanquam valedicturus, & discessurus occupo, & interrogando prævenio. Nunquid præterea vis, ô amice: nam ex negotio mihi abeundum. At ille mihi respondet: Hoc volo, ô Horati, ut nos cognôris; Nos enim docti sumus. Hic verò ego dicebam: quia doctus es, eo nomine pluris mihi fies, cariorq; mihi eris. At verò ubi hominis ineptias & molestam garrulitatem animadverti, miserè ac vehementer ab ipso discedere quærens, ut illum à me abigerem modo incedebam ocyus; Interdum planè consistebam, & nescio quid puero meo sequenti secretò in aurem dicere simulabam, Cum interea præ angustiâ & perturbatione animi, ex tædio & molestiâ garruli sudor mihi per universum corpus ad imos pedes & talos usq; desflueret, atq; manaret; cum summâ animi indignatione taci-

tacitus *mecum* dicebam: O felicem te, *nimiumq; beatum*, Bolane, *ob* cerebrum *tuum hujusmodi garrulitatis & ineptiarum impatiens; qui hujusmodi hominem garrulum statim reprehenderes, & à te abigeres.* Cum *autem* ille quidlibet garriret, & *modo* vicos, *per quos transiebamus, modo* urbem *Romam garrulorum more ex quovis loco quâcunq; garriendi occasione desumtâ* laudaret; ut ipsi nihil respondebam, inquit *ad me*: Jamdudum video, *ô Horati, tu à me* abire, *meoq; comitatu defungi* miserè cupis, *vehementerq; desideras*; sed nihil agis; *Non enim te dimittam, sed semper te* detinebo, *tibiq; perpetuò affixus adhærebo, & te* usque persequar. *Atq; adeo* quo nunc iter tibi est, & *quo te* hinc *ad hoc loco conferes? ibi respondebam ipsi*: non opus *est te amice, meo nomine* circum agi *aut mecum circum duci, meâq; causâ molestias suscipere.* Ego *amicum* quendam volui *invisere, qui* tibi notus non est. Is longo *loci intervallo hinc* trans Tyberim prope hortos Cæsaris *lecto adfixus* decumbit, & *ægrotat. Ibi verò garrulus mihi respondet: hoc tempore vacuus sum*, nihilque habeo, quod agam, piger *etjam* non sum; *sed libenter ambulo*, semper te sequar & *comitabor. Illud ego verò audiens, cum me impudentiâ ac importunitate garruli superari video* auriculas *meas defatigatus* demitto, ut asellus *qui graviter & iniquâ* mente *ferre solet*, cum onus *aliquod suis viribus* gravius subijt, *inq; se recepit. Ibi vero garrulus* incipit: si me *measq; virtutes* bene novi, *ô Horati*, non *Thurinum* Viscum, non Varium *Poëtam*, *ubi in* familiaritatem *tuam receptus fuero* pluris, *quàm me*, facies. Nam quis *aliorum hominum* aut plures versus possit, *aut* citiùs scribere, *quàm ego?* quis *autem saltando corporis sui* membra molliùs *aut decentius* movere *possit, quàm ego?* Atque *adeo ego tam benè* canto, *ut etjam* Hermogenes *Tigellius mihi* invidere *possit*. Hic *demum* interpellandi locus erat, *ejusq; vanissimum sermonem aliò divertendi ac interrumpendi, ne odiosâ suâ laudatione planè me occideret. Ipsum igitur interrogo*: Est *ne adhuc* tibi mater *viva, suntné* cognati *superstites quibus* te salvo *ac vivo, tuâq; operâ & auxilio* opus sit? *respondet*: haud mihi *illorum* quisquam *amplius superstes est*: *matrem meam* omnesq; *propinquos sepelij, inq; sepulcris suis* composui. *O nimium* felices *illos, tacitè mecum cogito, qui per mortem à tuâ garrulitate tandem liberati sunt: nisi forte loquacitate tuâ illos occidisti. Nimirum* ego *Horatius* nunc resto, *ut etjam à te componar, tuâq; garrulitate occidar: Tu verò*

ut lu-

si lubet jam me confice & occide. Namque jam fatum triste mihi instat, quod mulier divinatrix & sortilega Sabella è Sabinis, cum urnam, in quam sortes meas conjecerat, movisset, sortesq; postea eduxisset olim puero mihi cecinit & prædixit hisce verbis: Hunc Horatium puerum non quidem dira fames interimet, neque hostilis ensis è medio auferet, nec laterum dolor Pleuritis aut tussis consumit, nec deniq; tarda ac ignara podagra quondam interimet. Sed homo garrulus aliquando hunc consumet, quod si sapiat, ubi adoleverit, & jam maturiori ætate fuerit homines loquaces sedulò fugiat & evitet. Jamq; adeo tertia diei hora erat, & quarta diei pars præterita, cum ad Vestæ ædem pervenimus, & casu fortunáq; fortè accidit, ut illâ ipsâ horâ alicui vadato quem, vadimonio obstrinxerat in judicio respondere deberet, quod nisi urgente negotio fecisset, inq; judicio præsto fuisset, litem perdere, causâq; cadere deberet. Ibi tunc ad me inquit: ô Horati, si me ames quæso hic paulum in judicio officij gratiâ mihi præsto ades. Respondeo autem ego, inteream ego, & Dij malè me perdant, si aut præ defatigatione aliquot horas in judicio stare valeo, aut si civilia jura novi, & eo propero quo tu scis, nempe ut illum invisam qui propè Cæsaris hortos ægrotat. Ibi tunc inquit mihi: dubius & incertus sum quid agam, Horati, tene debeam relinquere, an verò rem meam, litemq; & causam in judicio. Cui ego: amabo te, ô amice me potius relinque, quàm rē tuā: Dij meliora! propter me causam tuā perderes? Respondet ille: non faciā illud, nec te relinquā: dumq; illū retraho, ut maneat meq; potius relinquat, quā causam suā perdat: ultro cepit me præcedere. Ego verò quemadmodum cum victore contendere & pugnare durum est, à garrulo hoc superatus, sequor. Deinde hic garrulus sermonem aliquandiu interruptum ab hoc principio repetit: age, ô Horati, quomodo Mæcenas tuus tecum vivit & agit? subijcio. Mæcenas meus homo est paucorum hominum, paucis familiaris, nec cuiquam ad illum facilè aditus patet. Nam exactissimi judicij est in amicis eligendis, & mentis benè sanæ ac sobriæ. Respondet mihi garrulus: ô Horati, nemo hominum felicior est, aut fortunâ dexterius usus fuit, quàm tu. Quod si hunc hominem (me puta) Mæcenati tradere & commendare velles, ad ejusq; familiaritatem promovere, tunc haberes magnum adjutorem apud Mæcenatem, qui tuas partes diligenter tueretur, qui de primatu tecum non contenderet, qui facilè tibi cederet, & à te secundas partes

ferre posset, *& post te altero loco in amicitiâ Mæcenatis contentus foret:* dispeream *si ego tuus adjutor essem: nisi tu solus apud Mæcenatem primas teneres, &* omnes, *qui adhuc priori loco apud ipsum sunt, jamdudum è loco suo* submovisses. *Cui ego indignabundus respondeo:* non isto *modo*, quo tu existimas, illic *apud Mæcenatem* vivimus, *&* hâc *Mæcenatis domo* nulla *alia* domus *aut* purior, aut alienor est, *ab occultis criminationibus, calumnijs, obtrectatione, æmulatione, iuvidia, insidijs, alijsq́ malis.* Nihil *enim* mihi officit *aut impedimento est, quod hic Mæcenatis amicus* ditior aut doctior *me* est: *nam* unicuique *cujuscunq́ etjam fortunæ & conditionis sit*, suus locus est. *Ad hæc respondet garrulus:* magnum *aliquid* & vix credibile *mihi* narras, *ô Horati. Atqui respondeo, sive credas sive non*, sic *res sese* habet. *Respondet ille: his verbis tu me, ô* Horati, accendis *& exstimulas*, quo magis *in Mæcenatis familiaritatem recipi*, illique proximus esse cupiam. *Ibi vero ego illudens ipsi respondeo: tu* tantummodo, *amice*, velle debes: *nam quæ* tua virtus, *& doctrina facile illud* expugnabis, *facile omnes difficultates superabis, honestumq́ locum apud ipsum consequéris:* & *quamvis exoratu* difficilis *sit, tandem tamen* se vinci patietur. *Qui quoniam ab omnibus facile vincitur* eò *fit ut* primos *aditus admodum difficiles* habeat. *Quibus garrulus respondet:* non mihi deero, *ô Horati, nihilq́ intermittam, quò in amicitiam Mæcenatis perveniam, nam ut intromittar, primusq́ aditus mihi pateat*, servos *& janitores* muneribus corrumpam, *& pertinax ero in amicitiâ illâ occupandâ. Quod* si hodie exclusus fuero *non propterea cras* desistam, *sed in trivijs illi* occurram, *illumq́ domum comitabor &* deducam, *&, quod omnium rerum primum est, opportuna* tempora, *quibus ipsum conveniam*, quæram. *Nam* vita *humana hominibus* mortalibus sine magno dolore nihil dedit, *nihil concessit, nihilq́ natura voluit esse pulchrum, quin idem sit arduum.* Dum *ita loquitur, &* hæc agit, *secumq́ garrit*, ecce *nobis* occurit Fuscus Aristius mihi *amicus &* familiaris, qui & illum *garrulum comitem meum* pulchrè nosset. Consistimus, *manusq́ & sermones conserimus:* rogat *me* unde venis, & quo tendis, *ô Horati?* responderque *vicissim ad illa, quæ ipsum interrogo. Ibi verò veste ipsum* vellicare cæpi, *ejusq́* brachia *tardissima &* lentissima *mihiq́ reluctantia, nec gratificari volentia* manu *meâ stringere &* prensare, oculos *meos* distorquens *&* nutans, *obscureq́ admonens* ut me eripiat. *At verò ille male* sal-

lè salsus *in fraudem & dolorem meum* ridens dissimulabat *se intelligere quid vellem; & ob id* bilis *ac ira* jecur meum urebat *& incendebat, vehementerq; ob id ipsi irascebar. Quare ipsum alloquor ac dico:* Certè *tu proximè* ajebas, te secreto *aliquid* mecum loqui velle. *Sed ille pessimus respondet:* memini benè, *ò Horati*, sed meliori *& commodiori* tempore *illud tibi* dicam. Hodie *enim religione impedior; quia hoc novilunio* tricesima Sabbatha *Iudæorum sunt, religiosè colenda & celebranda. Cui ego indignabundus respondeo:* visne tu *stultissime illius gentis sacra colere? & non potius* curtis *illis & circumcisis* Iudæis oppedere, *inq; eorum contemptum & contumeliam ventis crepitum ederet?* Certè mihi Horatio, *tanquam Epicureo* nulla religio est, *ne dum superstitio illa Iudæorum.* At mihi, *respondet Fuscus, religio est.* Sum *enim* paulo infirmior *& religiosior, & religionis motu paulò timidior,* unus ex multis. *Ob id* ignosces *mihi, & veniam dabis, quod jam à te abeam*, alias loquar, *quod secretò tecum me locuturum dixi. Ibi cum vehementi indignatione tacitè mecum exclamo:* hunccine solem, *hanc facem & lucem* tam nigram, *tam infaustam, tam infœlicem & inauspicatam* mihi surrexisse, *ut hujus molestissimi hominis garrulitate omnino enecandus sim, nec ullâ ratione liberari queam?* Nempe improbus *ille Fuscus* fugit, *& abit* meque *non liberat, sed in extremo discrimine tanquam hostiam jam jam mactandam* sub cultro relinquit. *At verò tandem fortuito ex* casu obvius illi venit adversarius *quidam, qui huic garrulo adversario meo coram judicio diem indixerat, ipsumq; vadatus erat, quo conspecto* magnâ voce exclamat: quo tu *tendis homo* turpissime, & *statim ad me dicit* licetne antestari, *teq; testem assumere contra hunc tuum comitem, ut ita ipsum secundum leges in jus rapere possim?* Ego vero *Horatius non impiger ipsi ultro* aurem *meam tangendam* oppono, *ut tandem hic garrulus à me in judicium abripiatur, ipsumq; probe ulciscor. Ille verò adversarius à morte me liberat, & garrulum à me* in jus rapit, ab utroque *magnus* clamor *& contentio, &* undique *ab omnibus partibus populi* concursus *oritur. Atq; ita in Augusti foro ad statuam Apollinis, ubi hic liberator obviam mihi factus est, tandem hoc garrulo defunctus sum, ibiq;* Apollo, *cui vitam meam acceptam refero,* me servavit.

SATVRA X.

NEmpe *concedo & fateor*, *quod supra in quâdam satyrâ* dixi, Lucilij versus incomposito *minusq́ ornato* pede currere *& lutulentos fluere*. Quis *autem* Lucilij tam ineptus fautor *& amator* est, ut hoc *verum esse contra manifestam veritatem negare velit*, *& mecum* non fateatur? At *tamen* idem *Lucilius non ubiq́ à me reprehensus fuit*, *nam in* eâdem chartâ, *eâdemq́ satyrâ à me* laudatur, quod urbem *civesq́* Romanos, *eorumq́ vitia* multo sale *& mordaci dicacitate salsè*, *acriter*, *& amarè*, defricuit, *& acerbavit*. Nec *interea* tamen, *quamvis ipsum fatear amaritudine & salsis jocis abundare*, *perfectum & absolutum Poëtam ipsum nominaverim*, *neq́ ego dum Lucilio* attribuo, *quod salsus & mordax fuerit*, cetera quoque, *quæ in eximio Poëtâ requiruntur ipsi* dederim *aut concesserim*. Nam si *eo*, *quod urbanè & facetè vitia reprehendit in perfectorum Poëtarum numero habendus est*: *sic etjam & eâdem planè ratione Decij* Laberij *scenicos versus* & mimos, *aliasq́ ineptias multis amaris salibus ac jocis respersas tanquam* pulcra *& eximia* Poëmata demirarer. Ergo *ad eximium Poëma Satyricum absolvendum* non satis est, *salibus profusum cachinnum in* auditoribus *permovere*, *aut auditoris* rictum, *restrictis labris nudatisq́ dentibus effuso* risu diducere (& tamen in his quoque virtus quædam est, *non contemnenda*) *sed præterea multa alia requiruntur*. *Nam* ut sententia *brevis & rotunda* currat, *nec semetipsam multis & copiosis* verbis, *quæ* defatigatas *auditorum* aures onerent *& aggravent*, impediat, *concinnâ* brevitate, *& aptis*, *paucisq́ verbis* opus est; opus *etjam* est *pro ratione temporis*, *loci*, *personarum & rerum*, sermone modo tristi, *serio*, *& severo*; sæpe jocoso, *salso*, *& urbano*. *Opus est sermone qui* modo vicem *& partes alicujus* Oratoris, *modo alicujus* Poëtæ, interdum *alicujus hominis faceti*, *&* urbani *irrisoris* tueatur, *qui dißimulando suis* viribus consultò parcat, *suasq́ vires deditâ operâ* extenuans *aliorum vanitates tanquam summas virtutes irridendo demiretur*. *Quippe hujusmodi* ridiculum *& salsè dictum* res magnas, *rerum magnarum momenta*, *magnorumq́ virorum vitia longè* fortiùs *& validiùs*, *longè etjam rectiùs* meliùs, *& tutiùs* secat, *mordet*, *& carpit*, *quàm summa acrimonia cum serijs ac severis verbis conjuncta*. *Atq́ adeo Eupolis*, *Cratinus*, *Aristophanes*, *& reliqui* illi, à qui-

quibus prisca Comœdia scripta *est*, *illi hoc ipso artificio, quod dixi*, *stabant*, *& probabantur, inq́ precio erant, & hoc ipso etjam* sunt imitandi. *Et quos tamen* neque pulcher *ille* Hermogenes, *ille bellus carminum censor*, neque *Demetrius* ille simius, *qui* præter Calvum & Catullum *Poëtas* nihil cantare, *nihil laudare didicit* unquam legit, *& tamen de aliorum scriptis censorium munus sibi delegatum arbitratur*. At *verò hic aliquis mihi objiciet, quod Lucilius* magnum *aliquid* fecit, quod *in Satyris suis* Græca verba *cum* Latinis *commiscuit*. O *vani & stulti, qui nimis tardi ac* seri *ad* studiorū *sacra admissi! tam parum didiceritis! Nimirum* qui existimetis *illud* difficile *aliquid* & mirum *esse*, quod *etjam vano illi Poetæ*, Pitholeonti *illi* Rhodio concessum fuit. *Quippe qui in utriusq́ linguæ confinio natus linguarum confusione versus condidit plurimos.* At *denuò quis mihi objectabit, quod* sermo, *qui ex* utrâque linguâ *Græcâ & Latinâ* concinnatus *est* suavior *est*, *quam simplex, non aliter* ut nota *vini* Falerni *austerioris cum* Chio *vino mitiori* commista *& temperata gratior esse solet. Age heus tu, qui hoc mihi objicis*, cum *tu* versus facias, *& Poeta sis* te percunctor, an *etjam si causidicus esses* cum *Latinâ linguâ Græca velis permiscere: Vt si* dura *illa & capitalis* caussa Petilij *Capitolini*, *qui sacrilegij in coronâ aureâ furtim è Capitolio sublatâ reus accusatus est* tibi agenda *sit*; *Interea* dum Pedius Poplicola, & Corvinus *Mesalla præstantes JCti, & Petilij accusatores acerrimi Latinè* caussam *illam vehementer ad sudorem usq́* dicant. *An* scilicet *tunc tu* patriæ *tuæ Italiæ*, patrisque *tui Romani* oblitus, *verbis* patrijs verba foris è *Græciâ* petita intermiscere, *&* more *alicujus* Canusini bilinguis *partim Latinè, partim Græcè loqui: an verò puro vernaculo sermone* mâlis *uti? Sanè vel tuo judicio causidico tam confuso sermone utenti, nihil ineptius esset*. Atque ego *Horatius adeo, qui* citra mare *in Italiâ & Apuliâ* natus *Italus sum, non autem ultra mare in Siciliâ aut Græciâ ortus*, cum *olim non contentus patrio sermone etjam* Græcos versiculos facerem, *tunc Romani auctor sanguinis Romulus ille* Quirinus *dormienti mihi in somnijs visus apparuit, idq́* post mediam noctem, cum *concoctione jam factâ, discussis vaporibus animus liber est, &* insomnia vera *esse creduntur*, tali voce me vetuit: *O Horati*, ne in silvam ligna deferas: *Nec tot auctoribus Græcis te adjungas. Quod si facere cupias*, insaniùs *id facies*, ac si magnas *& infinitas scriptorum* Græcorum catervas im-

plere, tuiq; conjunctione illas augêre velis. Hâc tam salutari Dei Quirini admonitione ego cautior redditus Latinas nugas & Satyras scribo, dum alije alij operibus occupantur. Interea enim dum A. Cornelius Alpinus, turgidus & inflatus ille Poeta, ineptum aliquod carmen de Memnone Emathionis filio ab Achille ad Trojam occiso tam inscitè scripsit, ut Memnona denuo jugulare videatur: dumque alio quodam Poemate illius lympidi fluminis Rheni fontes, & caput tanquam luteum sordidumq; diffingit, & deformat: Interea; inquam, ego hæc, has nugas & ineptias Satyricas ludo, quæ nec in æde Apollinis Palatini à me recitentur, nec ibi cum aliorum Poematibus de præstantiâ certent, & contendant, nec Mecij Tarpæ, aliorumq; judicium Criticorum subeant, nec deniq; iterum atq; iterum more aliorum Poematum repetantur, & à populo in theatris audiantur, atq; spectentur. Cum autem alij alijs studijs detineantur, alijsq; operibus emineant & excellant; Ego Horatius quoq; meapte quasi ingenij inclinatione ad Satyram feror. Sic tu, ó Fundani, unus Poëtarum inter omnes, qui vivunt, valde comis, lepidus & urbanus libellos Comicos argutè garrire, & solertem Comœdiam scribere potes, in quibus callidam aut versutam meretricem, aut Davum quendam nequam servum senem Chremeta herum suum eludentem introducis. Alter Asinius Pollio Tragœdijs Latinis prætextatis regum & principum Romanorum præclara bella & facta canit, idq; senarijs Iambicis trimetris, pedibus ter percussis & pulsatis. Porro Varius forte aliquod & robustum epos de rebus divinis & Heroicis tantâ majestate ducit & componit, ut nemo melius. Deniq; P. Virgilio Maroni rusticæ & pastorales Camænæ, & Nymphæ rure gaudentes, molle tenerum, elegans atque facetum Bucolicum aut Georgicum carmen, annuerunt & concesserunt. Hoc autem Satyricum carmen meum erat, quod melius possem scribere, quàm Varro Atacinus, & alij, qui Satyras scribere frustra tentârunt & experti sunt. Quamvis ingenuè fatear quod Satyrici carminis inventore Lucilio minor ac inferior sim. Neque enim ego ille sum, qui nescio quâ temerariâ audaciâ illius capiti ausim detrahere, insignem illam coronam & lauream multâ cum laude illius capiti æternùm adhærentem. At interea tamen dixi hunc Lucilium tanquam lutulentum fluere, vitijsq; & ineptâ garrulitate scatere, qui sæpe secum ferat plura quidem tollenda & damnanda, quàm quæ quis approbet aut relinquet. Age quæso: Hoccine mirum adeo tibi videtur?

Quid

Quid? quæro ex te, si vir doctus es, & bonus criticus, nihilne reprehendis in magno *illo* Homero? *Anne etjam ille, quamvis optimus Poeta, interdum dormitat?* Nihilne Lucilius *ipse tanquam* comis, *facetus & urbanus in* L. Attij Tragici *Tragœdijs reprehendit,* mutat *& corrigit?* Nonne *ipse multos etjam* Ennij versus *tanquam* minores *& leviores,* quàm gravitas *& dignitas materiæ postulat,* ridet *& reprehendit?* *Idq; etjam tùm,* cum de se *ipso* loquitur, *cum tamen majorem semetipsum non existimet illis, quos reprehendit, velut* reprehenso major *aut melior esset. Proinde* quid vetat *nos eodẽ jure erga Lucilium uti, quo ille erga alios usus fuit?* Et *quid prohibet* nos Lucilij scripta legentes *itidem* quærere, num illius *natura inepta, vel* num *ipsarum* rerum, *quas tractavit* natura dura *& intractabilis, num inquam sua vel rerum culpa ipsi* negaverit versiculos magis factos, *magis elaboratos & accuratos,* & molliùs *& concinniùs* euntes, *& leniores, ac tunc versus ire solent, vel qualia tunc carmina componuntur,* si quis *temerè illa profundat, satisq;* esse putat *& contentus sit,* Hexametrum *versum* senis pedibus concludere, *& tanquam magnum aliquid,* ducentos versus ante cibum *sumptum,* & totidem *versus cum* cœnatus *sit* scripsisse amet *& desideret.* Quale ingenium *luxurians & extemporaneum, &* rapido amne ferventius *& concitatius* fuit Cassij *Severi Parmensis* Hetrusci, quem fama est, *tot versus totq; libros conscripsisse, ut ex illis rogus sibi exstructus* sit, *& ita* proprijs capsis & libris *suis* fuerit ambustus. *Atq; adeo ut vel maximè* Lucilius *eximius Poëta, quamvis* comis, *salsus, jocosus* & urbanus, *quamvis* idem *Satyrici* carminis *à nullis* Græcis tacti *aut tentati, sed à Latinis tantum usurpati* auctor *& inventor,* limatior *& doctior* fuerit, quàm rudis; *limatior etjam & doctior,* quàm *Ennius, Actius, Pacuvius, & reliqua* seniorum Poëtarum turba, *qui ante ipsum scripsérunt:* sed *tamen,* si ille *idem Lucilius* DEI *providentiâ aut* fato in hoc nostrum ævum, *in hanc nostram, quâ jam vivimus, ætatem reservatus aut* dilatus foret: *Certè* multa *suis carminibus* detereret *& auferret, multaq; demeret & detraheret, & illud* omne, quod ultra perfectum traheretur, recideret, *& quicquid perfecto opere ulteriùs adderetur abundans & supervacaneum resecaret & amputâret,* & in versu faciendo caput *suum cogitabundus* sæpe scaberet, *pluteum sæpe meditabundus pulsaret,* & ungues *suos* vivos *profundis cogitationibus intentus sæpe præmorderet & arroderet, non autem in*

uno

uno pede staret, exiguoq; temporis intervallo ducentos versus dictaret. Certè festinata, nunquam sunt nimis elaborata. Sed si talia scripturus es, quæ digna sint ut iterum legantur, stylum tuum sæpe convertas, priorem scripturam sæpe deleas, & aliter atq; aliter finge, neque de eo multùm labores & sollicitus sis, ut turba aut vilis plebs te tuaq; carmina demiretur, sed paucis lectoribus, ijsq; viris doctis & prudentibus contentus sis. Anne tu ceu demens tua carmina pueris in vilibus scholis aut ludis dictari & populo, quàm viris prudentibus approbari, mâvis? Certè ego Horatius illud non mâlim: Nam velut Arbuscula meretrix, cum mimam egit, & à vulgo explosa fuit, audax & animosa dixit: sufficit mihi ac satis est equites Romanos mihi plaudere, si vulgus me explodit: sic etjam ego aliorum de scholâ judicijs contemptis virum prudentem carmina mea mâlim approbare, quàm universam vulgi multitudinem. Anne enim me commovere aut turbare debeat fœtidus ille cimex Pantilius? aut egone ob id excrucier, quod Demetrius ille simius absentem me maledictis vellicet & calumnietur? Aut deniq; quod ineptus ille Poëta Fannius aut quispiam conviva, & scurra Hermogenis Tigellij cantoris me maledictis lædat, cum mihi malefacere nequeat? Ego verò hoc tantum opto ut egregij viri, quales sunt Plotius, Varius, Mæcenas, Virgilius, Valgius, & optimus ille & maximus imperator Cæsar Octavius Augustus, & Fuscus Aristius hæc carmina mea approbent, atque utinam hæc uterque fratrum Viscorum (qui doctißimi Poëta & censores sunt) laudet. Adeoq; ego omni ambitionis suspicione relegatâ liquidò doctos viros dicere & numerare possum, & inter illos te Asini Pollio, & te Mesalla cum fratre tuo, & simul cum his te candide censor, historice, ac amice Furni: & complures alios, quos viros doctos & mihi amicos prudens ac sciens prætereo! quibusq; hæc mea qualiacunqne carmina arridere & approbari velim. Doliturus profectò ægroq; animo laturus, si minus placeant, quàm sperâssem. Te verò, ô Demetri, & te, Hermogenes Tigelli, infelices esse & plorare jubeo, inter cathedras, inq; cœtu histrionum & mimarum, discipularum vestrarum impudicarum mulierum, quas carmina vestra cantare edoceatis. Et quoniam hi versus ex tempore in mentem mihi venerunt, heus ô puer, i cito, atque hæc libello meo subscribe.

FINIS SATVRARVM LIBRI PRIMI.

HORATIVS

E. LVBINI


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm